# IOANNIS ZECHII BONONIENSIS, AC CIVIS ROMANI, DE RATIONE *curandi præſertim febres ex putri ortas humore à medicis hactenus in vrbe ſeruata, in Sacro palatio habita diſputatio.*

AD

SANCTISSIMVM

CLEMENTEM VIII.

PONT. MAXIMVM



ROMÆ Apud Aloyſium Zannetum. 1596.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

# BEATISSIMO SANCTISSIMOQVE PATRI CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

## IOANNES BAPTISTA ORIVS.

EN adfero tibi Beatiſs. Pater Ioannis Zechij nouum opus: quod ſimul atque in lucem edere conſtitui, Glorioſiſsimo tuo illuſtrandum nomine, tuæque Sanctitati conſecrandum cenſui: non modo quod ea, quam debemus ſummo Principi obſeruantia, ac famæ tutelæque huic libro comparandæ ſtudium ita poſtulet; verum etiam, quòd opus hoc qualecunque eſt, tibi ortum ſuum debeat; teque primum auctore conceptum, totum quodammodo tuum fuerit antequam natum. Accipe igitur Beatiſsime Pater iſta frontis hilaritate, qua

rapis vniuerſos, tot tibi nominibus debitum nouellum hunc fœtum: atque ad conſcriptos iam libros alios in lucem edendos, aliosque conſcribendos deuotiſsimum tibi ſenem inuita. Vt qui de bonis artibus, deque toto terrarum orbe ſemper optime es meritus, hoc præcipuo maximoque beneficio Medicinæ ſtudioſos tibi deuincias: artemque vitæ noſtræ ſalutarem & perneceſſariam, egregijs, ad commune bonum, augeas & obſeruationibus & præceptis. Vale.

# HIERONYMO PROVENZALI

SANCTISSIMI D. N.

# CLEMENTIS PP. VIII.

MEDICO EXCELENTISS.

*IOANNES ZECHIVS Bononienſis felicitatem.*

*IOANNES Baptiſta Orius Ariminenſis inſignis Medicus, omnium propemodum artis medicæ ſtudioſorum nomine, me vehementer rogauit, vt ſinerem ab eo in lucem edi decreta ſeu deciſiones, quas dicimus, diſputationis vel potius conſultationis, quæ inter nos eſt habita, paucis ante diebus, in ſacro Palatio, ad rem medicam pertinentes. Quod ſane vt illi æquo animo permitterem, tria me potiſſimum adduxerunt. Primum vt amico bene de me merito, cuique plurimum debeo, aliiſque Medicinæ profeſſoribus gratificarer. Deinde, vt ſi quid boni in hoc opuſculo deprehendetur; id totum non mihi ſolum, verum etiam tibi habitæ diſputationis*

*au-*

*auctori referatur acceptum. Poſtremo, vt falſam quandam opinionem apud complures exortam euerterem. Circumferebant enim multi artis ſtudioſi, neſcio quo argumento ducti, te in illo inter nos habito examine in ea fuiſſe ſententia; purgantia medicamenta non modo incipientibus morbis ab humore pendentibus: ſed quouis etiam morbi tempore indifferenter concedi poſſe ac debere. Deinde ex tua ſententia vena ſectionem perpetuo ante purgationem celebrandam prædicabant. Præterea idem tibi quod & Medicis Neapolitanis videri dicebant, vinum ſcilicet cuiuſque generis, nulla lege ſeruata, febrientibus omnibus concedendum, ac multa eiuſdem generis alia, quæ tam falſa ſunt, quam quæ falſiſsima, & eruditiſsimis propoſitionibus tuis minimè conſentanea. Habes igitur vir doctiſsime conſilij mei rationes. Porro autem illud vnum te non ignorare peruelim, me hoc in opuſculo nullam habiturum aduerſus tuas propoſitiones diſputationem: ſed omne meum ſtudium eò ſpectare, vt controuerſias omnes inter peritiſsimos artis viros in ſpeciem probabiles conciliarem pro viribus, liteſq́ dirimerem ad propoſita problemata pertinentes: quæ quanti momenti ſint apud eos qui artem medicam profitentur, ignorat nemo. Quæ ſemper omnia tuo ſapientiſsimo iudicio corrigenda ſubijciam. Vale. atque illud exploratum habeas te non minus à me amari quam ſumma tua virtus atque animi integritas poſtulat.*

## IO. BAPTISTA ORIVS *Medicinæ Studioſis.* S. P.

DVO iam præterierunt menſes, cum Excellentiſsimus Io. Zechius, Generoſo Principi à Bononienſibus conceſſus denuo redijt in Vrbem, quæ veluti cum tanto careret viro non parum dolebat, ita poſtquam illum recepit tota incredibili lætitia efferri cępit. Nec mirum; etenim, cum aliquot ab hinc annis in hac alma Vrbe fęliciter artem exercebat Principes,ac nobiles ſummam artis præſtantiam, tenuioris verò fortunæ viri, præter eam, maximam experti ſunt in illo caritatem; Et nunc in dies magis,ac magis experiuntur:Ita enim excitata iam illius fama percrebuit, tàm firma, tam ſtabilis mentibus hominum opinio de eo comprehenſa eſt, vt nullus ſit graui morbo correptus, qui Zechij conſultationem non efflagitet, nullus conſultantium medicorum conſeſſus, qui Zechij ſententiam non requirat;Nulla rerum dubiarum diſputatio,quæ doctiſsimum hunc virum non admittat. Quin Romam nuper regreſſus ex equo vix deſcenderat, cum a Sanctiſsimo Pontefice ad lites, & grauiſsimas in arte controuerſias dirimendas accitus eſt. In quibus quam egregiè ſe geſſerit, quantam ex tempore in reſpondendo vrgentibus obiectionibus ingenij vim oſtenderit, quam veras, ac neceſſarias ad ſuam aſtruendam ſententiam rationes adduxerit, quantam iunxerit cum dicendi grauitate modeſtiam loci Maieſtati maximè congruentem, litterarum ſtudioſi, qui aderant atteſtantur, & prædicant: Etſi ipſe ob temporis anguſtias res ipſas ſe vix ſummis, quod aiunt, labris delibandas oſtendiſſe, nec plenum ſui guſtum præbuiſſe querebatur; Quod cum animo ſecum ipſę poſtea reputaret, quæ eius eſt ad iuuandos omnes propenſa voluntas, cępit ea rurſum, quæ molli quaſi brachio exorſus fuerat diligentius pertractare,ac parũ agitata dubia impenſius diſcutere.Itaque prætermiſſa addendo, inchoataque perſequendo Methodo de-

mum exquiſita, quotidie quæ de hac re animo cõceperat compoſitè, atque eleganter, & ſi multis implicatus negotijs, obiter paſsim dum ægros viſit; ſepè etiam, ita mihi credi velim, in menſa mecum communicare conſueuerat: eo ſcilicet conſilio, vt ipſæ ea omnia exararem, in vnumque volumen redigerem, quod fuſius clariuſque, quam viua vox ex improuiſo excitata eius animi ſenſa notioneſque explicaret. Nec ſua ipſum met ſpes fefellit: quandoquidem acceptorum beneficiorum memoria, ac ſummum quo teneor ijſdem met reſpondendi ſtudium, me ad hunc conſcribendum libellum, ac Pręceptori dulciſsimo Patronoque amantiſsimo morem gerendum excitarunt atque omnino cogerunt. Haſce igitur ex Zechij ore mihi traditas ſententias præcipiti calamo cum digeſiſſem in libellum, cumque auctori ſuo quamprimum reddidiſſem, tum cogitare cepit, ſanè non abſurdam rem fore, ſi ipſum iam manu exaratum, quod ſuam in eo germanam ſententiam expreſſam videret, ijs, qui diſputationi interfuerunt litterarum profeſſoribus legendum daret. Ac neſcio quo pacto res tota nonnullorum ex Medicis Vrbis, mox etiam ad aliorum quorundam ſummorum virorum aures peruenit, tandem ſummis quibuſdam viris denuntiata fuit, quorum aliqui ad publicam vtilitatem opuſculum hoc typis dari præcibus contenderunt, aliqui autem perſuadere conati ſunt, renuentique tandem pro imperio, hunc ferè immaturum fętum e manibus extorſerunt: Intelligebant profecto, idque illos ſpectaſſe cenſendum eſt, a fertiliſsimo illo ingenio, cuius fructus Vrbi iam diu Orbique innotuerunt, naſci nihil poſſe, quod non Medicæ artis alumnis gratiſsimum, atque vtiliſsimum ſit futurum. Hinc eos, qui ex ratione mederi ſtudent ad inſtitutam ſemitam perſequendam alacriores reddi poſſe, hinc cæteros, qui deflexerint ad veram tutamque viam reuocari. Hinc nouam multorum ingenijs commentandi, ſcribendique materiam, ac ſegetem depromi. Hinc denique incertos & ancipites animos veriori, firmiorique iudicio confirmari. Mihi quidem adeo certa, & explorata libri huius vtilitas ſemper viſa eſt, vt quem priuato iudicio viri magni probarant, cum ſi exiret in lucem, omnium ſufragijs ornandum plauſuque excipiendum facilè ſperarem: Quod ſi ceſsiſſe ex animi ſententia cognouero tum vobis alios Auctoris labores, de affectibus ſcilicet cordis, opus ſanè aureum, deque febribus breui me daturum polliceor. Interim Valete.

INDEX

# INDEX
## EORVM, QVÆ IN HOC OPERE maximè notatu digna continentur.

A.

ANimalia & plantæ in hominis necē non rarò cōſpirant. 1

Artes cur in dies pficiātur.

Ars naturam imitatur. 5

Artis opera non dum prorſus innotu erunt. 9

Artis medicæ pars maxima coniecturis inhæret. 5

in Arte medica cur plures, quamin alijs difficultates ſuſcitentur. 5

Aequiuocatione terminorum omnes ferè cōtrouerſias excitari. 5

Abortus cauſa. 6

Arenoſa in vrinis ſubſidentia non ſemper calculi in renibus, vel in veſica certa ſunt indicia. 6

Arenoſa quibus in vrinis ſubſiſtunt, his veſica calculo laborat. Hippocratis ſententia 4. aphor. 79. à nemine hactenus ex propria germanaque eiuſdem Hippocratis mente explicata. 6.7

in Aegrotante morbus primum iuxta eius naturā ſpectandus. 8

Aphoriſmi Hippocratis 4. aphoriſmorum 79. noua ex inuentione noſtra commentatio. 6

Artifex minimè bonus eſſe poteſt, qui ſua ignorat inſtrumenta. 19

Aloes conſideratio. 35.36.37

Aphoriſmi 22. primæ ſectionis Hippocratis ſententiæ explicatio. 42.43.44.45

Antidota deleteria quæ 49.50

Alyſſon quid ſit. 52

Argumenta credentium nunquā purgādum citra coctionem aut turgentiam afferuntur. 56.57

Argumenta ſupradicta ſoluuntur. 58. 58. 60.

Anceps auxilium experiri ſatius eſt, quam nullum. 59

Alnus cur prius mouenda, mox vena ſecanda ſecundum nonnullos. 67.68.69

Apomeli quid ſit. 77

Alimentum omne quatenus alimentum calidum eſt, & humidum. 86.

Alimentum cur calidum, frigidū, humidū, vel ſiccum dicatur. 86

Acidum ab acerbo, & vtrumque ab acri quomodo differat. 90. 91. 92.

Arthritidis, ſeu podagræ conſideratio. 101.102.103

Artus imbicillos in ijs qui exquiſitam ſeruant victus rationem omnino in tuto eſſe, non perpetuò verum. 103.104.

Auxilium aliquod citra omnem

noxam quod magnifice proſit inuenire eſt difficillimum. 114

C

CAeli, elementorumq. actiones humano interdum generi infeſtiſſimæ. 1
CHRISTVS ore proprio Medicinã cæteris diſciplinis præpoſuit. 2
CHRISTVS ſeſe Medicum profiteri non dedignatus eſt. 2
Conſilij noſtri ratio. 4
Calculi veſicam exercentis proprium, inſeparabileque ſignum. 7
Coctio fit per quietem. 10
Catbartica medicamenta omnia deleteria quadam facultate predita eſſe, ideoq. non ſine maximo labore purgare. 15.16
Caſſiæ Conſideratio. 20.21
Calculum patientibus frequens caſſiæ vſus maxime opportunus. 20
Criſes in morbis peſtiferis vt plurimum ſunt ad mortem. 48
Cocti, crudi vè cibi deuorati indicia. 70
Crudi humores multi & venæ ſectionem et purgationem renuũt 74.75.
Contradictio manifeſta in dictis eorum qui oppoſitam ſequuntur ſententiom in vſu purgantis medicamenti quouis morbi tempore. 80
Colores nihil in noſtra corpora agere queunt. 92

D

DRyopteridis nomine quid intelligendum. 51
Diureticorum triplex conditio. 109.110.

E

EXempla quibus explicantur antiquorum theoremata religioſe admodum accipienda. 6
Euacuantium medicamentorum diuiſio. 15.16
Epithimi conſideratio. 24.25
Errores ad hominum perniciem ſpectantes non diſsimulandi. 45
Ebrij cur vini potu conſaneſcant. 87
Ebrius ſi repente fiat mutus, conuulſus moritur niſi eum febris corripiat. 98
Eunuchi cur rarius, pueri nunquam podagra laborant. 102
Epilogus totius operis. 116.117

F

FEbrium continentium maxima remedia, duo. 67
Frigidæ aquæ potio qua lege præſcribenda. 67
Febris quoad ſuam eſſentiam quæ requirat præſidia. 107
Febrium putridarum cauſa perpetuò calida. 107

Gra-

G

Grauidam mulierem ſecta vena abortire quomodo veritatem habeat, vnde Hippocratis ſententia quinto aphor. 31. explicatur 6
Grauidæ mulieri qua ratione ſine abortionis periculo frequenter vena ſecatur. 6
Grauidæ mulieri multo ſanguine abundanti magno laboranti morbo tuto mittitur ſanguis. 6
Grauidæ mulieri ſanguinis detractio ſemper eſt ſuſpecta, ac multo magis, vbi fœtus ſit grandior. 6

H

Hominis inſælix conditio. 1
Homo homini Deus. 1
Homo homini ſerpens & lupus. 1
Hominis vitam militiam eſſe ſuper terram. 1
Homo cur frequentius, quam cætera animantia, innumeris morbis ſit obnoxius. 1
Homines, qui nam optimi ſimul & maximi cenſendi ſunt. 2
Hominum ingenia diuerſa. 3
Humores ſola qualitate peccantes non purgatione duntaxat, ſed alteratione opus habere. 18
Hyeme præ ceteris plurimum comedendum, bibendum quamparciſſimè. 85

I

Induſtria humana meditando alitur & indefeſſo caleſcit impetu. 4
Inflammationem, quæ in abſceſſum abit, in aliam morbi naturam commutari. 10
Inflammationis ad ſuppurationem tendentis principium quomodo deprehendatur. 10
Inflammationis ad ſuppurationem tendentis alia à principio tempora quomodo internoſcantur. 10
Inflammationis ad ſuppurationem tendentis tempora vniuerſalia à morbi eſſentia accepta cum temporibus à materia, & ſymptomatis deductis non concurrere Trincauell. autumat. 11
Ius ex facto oritur. 60
Iudex niſi quis rectus fuerit & ſingulorum diſcriminum bene peritus, vbi quod profuit obeſſe quod obſuit prodeſſe putabit. 105

L

Lenientibus medicamentis cur alterius generis medicamenta commiſceantur. 10
Lenientium medicamentorum catalogus. 19
Lactis conſideratio. 30.31.32.33
Lenitio ventris ferè perpetuo hac tempeſtate præ edere debet venæ ſectionem, & cur. 72
Lenitio ventris quando prætermittenda ante venæ ſectionem. 72.

M

Medicæ artis præſtantia. 1.2
Medicorum nonnullorum pernicioſi mores. 2.3
Medico carere melius eſt, quàm

vti imperiti opera. 3
Methodus difficultatum explicandarum. 5.6.7
Morbi tempus quomodo accipiendum. 7
Morbi tempora quemadmodum & animantium ætates variam rationem ſubeunt. 8
Morbus iuxta diuerſa tempora varias recipit mutationes. 8
Morbi ſalubres tripliciter terminari ſolent coctione excretione, & abſceſſu. 8
Morbus duplici ratione à propria eius materia pendere poteſt. 9
in Morbis à fluxione pendentibus, quod ad temporum diſtinctionẽ attinet quatuor conſideranda. 9
Morbus tam diu in principio eſſe dicitur, quam diu cruda exiſtit materia. 10
Morbum eſſe minorem ſiue remiſſiorem, atque mitiorem & ſalubriorem non idem eſſe. 12
Morborum ætates animantium ætati correſpondere ex Platone. 13
Morbi primum inſultum cur tanti facit Hipp. 13.14
Medicamenta ab alimentis qua ratione differant. 14
Medicamentorum differentiæ quatuor. 14
Medicamentum ſimul atque alimentum quale ſit. 14
Miſcendorum ſimul medicamentorum ratio. 17
Mannæ conſideratio. 21.22
Myrobalanorum conſideratio. 26.27.28
Myrobalani qua facultate purgare dicantur. 41
Medicamentorum à totius ſubſtantiæ proprietate operantium differentiæ 48.49.50
Minoratiua, atque eradicatiua purgatio apud Mauritanos quæ ſit. 54
de duobus Malis minus eligendum 59
Medici Romani num inchoantibus morbis purgans medicamentum rectè præſcribant. 60.61
Medicamentorum facultatis denominatio non ex eo quod ex accidenti illis ineſt petenda. 87
Mulier cur rarò podagra laborare dicatur. 102
Morborum diuiſio. 108

N

Nihil adeo in diſciplinis manifeſtum eſſe, quod in diſputationem trahi nequeat. 4
Naturales res in morborum principijs & declinatione firmiores eſſe, quàm in rigore. 13
Neotericorum diſtinctiones ad definiendum, quomodo licet purgare citra coctionem & turgentiam. 58.59
Nerui linguæ motui inſeruientes vnde originem trahant. 97

O

Operis vniuerſi propoſitum. 3
Oculorum dolor, quando ſanguinis miſſionem quando purgationem aut vtrũque, quando balneum, quando vinum & fotum requirat. 99.102

P

PRæfatio in vniuerſum opuſculum. 1
Præcepta antiquorum vniuerſalia neque contemnenda neque vſque adeo rigoroſe obſeruanda. 6
Partibus humani corporis id contingere, quod & in Republica male ordinata. 9
Principium morborum à fluxione naſcentium à cauſa morbifica acceptũ, tria ferè morbi & ſymptomatum tempora includere. 10
Principia morborum et fines leuiſſima vigores autem vehementiſſima omnia habent. 13
Principij nomine quid intelligendum. 13
Principium morbi trifariam ex Hipp. accipi. 13
Principium morbi pro primo morbi inſultu acceptum nullius eſt conſiderationis apud Hipp. 13
Principij cuiuſque morbi à materia pendentis ratio, quæ cruditate & coctione definitur maxime artificioſa eſt. 13
Purgantium medicamentorũ facultas vel eſt eorundem forma ſiue totius ſubſtantiæ vis, ſiue abdita & occulta quædam natura. 15
Pharmaca proprios humores trahere, eoſque a ſanguine ſecernere negantes turpiter errare. 16
Purgantis medicamenti propinandi ratio quot requirat. 16. 17. 18.
Purgantis medicamenti quantitas finiri vix poteſt. 17
Purgandorum corporum vires expendendæ. 17
Purgationes quibus moleſtæ ſint. 17. 18
Prunorum conſideratio. 25. 26
Purgationi factæ in principijs morborum cruda exiſtente materia, quæ incommoda ſubſequãtur. 42
Purgatio duplex minoratiua, eradicatiua. 44
Purgationem eradicatiuam citra coctionem non minoratiuam reprobauit Hippocrates Aphoriſmo. 22. primæ ſectionis. 22
Purgatio quando & quomodo peragenda in principijs morborum. 15. 16
Perpetuum in rebus humanis nihil reperiri. 45
Pityocampæ quid ſit. 51
in Principijs morborum nunquid aliquãdo purgare liceat citra coctionẽ et turgentiam. 53. 54. 55
in Principijs morborum nunquam purgandum citra coctionem aut turgentiam probantium rationes. 56. 57
Præceptum nullum vniuerſale ita inuolutum recipi, quod ſuis interdum limitationibus non ſit explicandum. 52
in Principijs morborum citra coctionem & turgẽtiam purgandum quinque ſunt quæ neceſſario cogunt. 60
Purgatio vtrum præferenda venæ ſectioni. 62
Purgationẽ proprie acceptam non eſſe venæ ſectioni præferẽdã. 66

Pur-

*Purgatio molienda ante venæ ſectionem quibus medicamentis, et per quos ductus peragenda.* 71

*Purgatio aliquãdo euacuatio quædam eſt* 71

*Putrida febre correptis num toto morbi tempore purgans medicamentum ex interuallis breuibus ſit repetendum.* 73.74.75

*Purgantia medicamenta non eſſe exhibenda vehementi febre correptis, & cur.* 74

*Purgatio non conuenit exiſtente vrina tenui.* 74

*Purgatio exiſtente aliqua parte præcipua inflammata, maxime damnatur & cur.* 74

*Purgantia medicamenta in principio in augmẽto & vigore morbi coctionẽ humorũ retardant, ac conſequenter ledunt.* 75

*Purgandum in febribus in omni tempore ex interuallis quibuſdam probantium rationum ſolutiones.* 78.79

*Præcepta generalia licet ab omnibus citra controuerſiam recepta nodo non carent.* 82

*Podagricis quibus vinũ concedendũ, quibus denegandũ.* 100.101

*Pueri cur rarius quam eunuchi podagra tenientur.* 103

*Podagram Bacchi & Veneris filiã à Græcis fictam eſſe.* 103

*Podagricorum artus nunquam roborandos eſſe cogitantium error* 104.105

*Præſidia eadem præſentibus ac imminentibus malis.* 106

Q

*Quæſtionibus in omnibus pertractandis tria diligenter expendenda, nimirũ dubiæ propoſitionis vterq; terminus, ſubiectum nempe & prædicatum, atque vniuerſalium præceptionum accurata commentatio.* 5

R

*Roſarum ſucci conſideratio.* 23

*Rhabarbari conſideratio.* 33 34.35

*Regularis atque irregularis medicationis diſtinctio nulla.* 59

S

*Symptomata diuerſis temporibus, diuerſas quoque mutationes recipere.* 8

*Soluentia Medicamenta qualia.* 15

*Seri lactis conſideratio.* 29.30

*Senæ conſideratio.* 37.38.39

*Soluentium medicamentorum omnium diuiſio.* 39.40.41

*Soluentium medicamentorum differentiæ non ſolum ex viribus & energia, verumetiam & ex agendi ratione ſummendæ.* 40

*Schiſtum lac quid ſit.* 50

*Saluberrimum præceptum.* 53

*In Sectione venæ dierum numerus non attendendus.* 55

*Sanguinis miſsio aliquando purgatio quædam eſt.* 71

*Sanguinis miſsio melius diſponit corpus ad expurgationem, quam expurgatio ad uenæ ſectionem.* 71

*Solutio ventris raro iudicat febres.* 75

*Solutiones argumentorum probantium purgandum in quocunque tempore putridæ febris ex interuallis quibuſdam* 78.79
*Sanguis vna cum conſocijs humoribus ſtatutis quibuſdam temporibus motus, citra etiam omne vitium per venas ad imbecillos articulos accedit.* 104

T

*Temporum in morbis partitionem duplicem Gal. affect. eſſe.* 8
*Temporum morbi ratio vnde petenda.* 9
*Tempora morborũ à fluxione pendentium qua ratione & in vnũ coeant & etiam diſsideant.* 9
*Temporum morborum diſtinctio à Valeſio adducta cõprobatur.* 11
*Temporum morborum diſtinctionẽ non aliunde petendam arbitratur Gal. primo de criſibus quam à materiæ coctione.* 11
*Thamarindorũ conſideratio.* 22.23
*Turgentium humorum ſigna.* 43
*Turgere nequeunt omnes humores* 43
*Turgentem humorem, licet crudus ſit, cur purgare expediat* 44
*Turgentis, & in aliquam partem determinatam irruentis humoris ratio diuerſa.* 46

V

*Violarum conſideratio.* 24
*Venenatorum humorum ſuperandorum ratio triplex.* 47
*Venenata aura quomodo euincatur.* 47.48
*Victum humidum febricitantibus omnibus conferre non perpetuo verum & quando.* 59
*Ventris lenitionem venæ ſectioni magna ex parte præferendam.* 72
*Venæ ſectio nullo non tempore, modo vires ſuſtineant, molienda.* 67
*Venæ ſectionem impedientia quot & quæ ſint.* 70
*Vinum vtrum febrientibus innoxiè concedendum.* 82.83
*Vinum pueris maxime denegandum & cur.* 83
*Vini temperamentum.* 84.85
*Vinum calidum eſſe.* 84
*Vinum frigidum eſſe quomodo intelligatur.* 74.84
*Vinum ſenibus maxime opportunum.* 85
*Vinum an humectet an ſiccet.* 85
*Vinum adeo nutrire vt in genere ciborum ſit ponendum.* 85
*Vinum vt alimentum humidum eſſe, ſiccum autem vt medicamentum nonnulli ſenſere.* 86
*de Vini temperamento difficultatis deciſio.* 76
*Vinum ex accidenti exſiccare.* 86
*Vini immoderato vſu frigidos excitari morbos.* 87
*Vinum album qua ratione frigidum cenſendum.* 87
*de Vini temperamento pugnantia in Galeno loca conciliantur.* 88
*Vinorum differentiæ.* 88

*Vinum*

Vinum album poteſt eſſe craſſum, nec nigrum tenue. 89
Vini colorum diſtinctio. 89.90
Vini ſaporum explicatio. 90.91
Vinorum qualitates primæ, ſecundæ, atque etiam tertiæ quæ ſint. 92. 93
Vinum quot modis corpus noſtrum afficiat immutetque. 93.94. 95.96
Vini partes quot & quæ ſint. 94
Vinum alimentum medicamentoſum qua ratione dici poſſit. 95
Vini conditiones procurandæ. 95. 96
Vina optima habentes fælicißime ſuam tuentur ſanitatem. 96
Vinum pucinum quod nam. 96
Vinum Vipacum quod ſit. 96
Vini incommoda humano generi allata quot & quæ. 96.97.98
Vinum vetus hauſtum eos ſonat, qui tantum papaueris ſumpſerint, quantum hominem interficere poteſt. 96
Vinum qua ratione conuulſiones excitet. 97
Vinum maxime ſuſpectum fameſcentibus ob maximam inanitionem. 98
Vinum quam famem ſoluere dicatur. 98
Vinum oculis qua ratione & infeſtißimum & maxime opportunum dicatur. 99.100
Vinum quibus podagricis interdicendum, quibus, concedendum. 100.101
Venus qua ratione artus frangere dicatur. 101
Vinum qua ratione articulos lædat 102
Vini abſtinentia eorum qui à podagra liberati ſunt exempla. 105
Vinum febrientibus infeſtißimum pluribus rationibus demonſtratur. 106.107.108
Vinum omnes promouet vacuationes. 108
Vrinam mouentium triplex natura. 109
Vinum febrientibus aduerſißimũ confirmantium auctoritates. 111
Vinum febrientibus indifferenter concedendum probantium rationes ſoluuntur. 114.115
Vinum qua ratione ab Hippocrate febrientibus concedatur. 115. 116

FINIS.

# PRAEFATIO.

*QVONIAM vt omnium rerum, quas Mundus ſuo ambitu complectitur, ita & hominis certus eſt interitus, iſque, & contrariorum, ex quibus conſtat, indeficienti pugna, & variarum iniuriarum externarum incurſationibus perpetuò alteratur, atque laceſſitur; ſiquidem cælum, & ſydera ſuis interdum malignis aſpectibus, ac peſte; aerem grandine, pluuia, & procellis; terram terribili motu, ſuiſque voraginibus, & ſpeluncis peſtilentem auram expirantem; aquas colluuie, & inundationibus; ignem tandem incendijs, innumeris modis humano generi pernitioſa fuiſſe, tam notum eſt quàm quod notiſsimum: Animalia omitto varia venenoſa, quæ hominis necem vnanimi conſenſu machinari videntur: immo nec herbæ quamplurimæ a peruerſo illo homini nocendi genio immunes reperiuntur. Sed (quid amplius?) Vt homo homini, licet raro, Deus ſit à innumera facinora comittens, homo homini ſerpens fit, & lupus: ita vt rectè in antiquo adagio ſit poſitum, Hominis vitam militiam eſſe ſuper terram: Hinc fit quod homines ipſi frequentius, quàm muta animantia innumeris ferè morborum generibus vndique ſint opportuni: Propterea medendi ars Dei Opt. Max. infinita*

Clementia inuenta excultaque fuit ; Cuius quidem beneficio infeſtiſſimi humani generis hoſtes ( Morbos dico ) propulſantur, ſanitaſque quàm diutiſsimè integra conſeruatur ; Quo nihil homini in votis magis eſſe poteſt. Ita vt haudquaquam mirandum ſit, ſi omnium bonarum artium Medicina præſtantiſsima cenſeatur. ſed id longe maiorem & Medicinæ & Medicis affert auctoritatem, quòd nimirum ſacræ litteræ honorem illis deferendum eſſe iubent, quinimò Chriſtus humanæ ſalutis redemptor Optimus & Maximus ore proprio Medicinam ceteris diſciplinis omnibus præpoſuit; quando egrotantibus medico opus eſſe aſſeruit, nec dedignatus fuit Medicum ſe præbere; dum leproſos, claudos, cæcos, mutos ; & id generis ægrotos omnes perfectè curauit, mortuoſque ſuſcitauit : idque & Apoſtolis ſuis faciendum mandauit : Quapropter ſi qui de communi hominum ſalute magis, magiſque indies promerentur, omnium maximi ſimul & optimi cenſendi ſunt, hi profectò Medici habentur ; quando congrua medendi methodo rationi & experimento appoſitè reſpondenti artem exercent : Contra verò, qui parum in Arte verſati, ſe Medicos in hominum potius perniciem, quàm ſalutem profitentur, ac neſcientes inter lepram, vt dici ſolet, & lepram diſtinguere, ad paucaque reſpicientes, proinde facilè enunciantes, oſtentationis gratia, medica præcepta ratione, & experimento iamdiu recepta, & comprobata infringere contendunt,

bi

*hi tanto humano generi pernicioſiores ſunt, quanto occultius indies propinant, inſcij tamen, ſub melle venenum. Proinde melius eſt medico carere, quàm vti imperiti opera: & licet tam diuerſa ſint mortalium ingenia, nec voto viuatur vno (trahit enim vnumquenque ſua voluptas) religio tamen, quantum ego puto, eſt, & magnum deducus, Medicos in medicina facienda (quo in opere de hominis corio luditur) inter ſe diſsentire, contendere, atque vſque ad ſtomachum digladiari, ac præſertim in ijs, quæ præcipuum ſibi vendicant locum inter ea, quæ ad pharmaciam, chirurgiam & victus rationem receptiſſima Medicinæ inſtrumenta ſpectare videntur, qualia hæc fere ſunt. Num ex arte ſit Romæ, vel vbique locorum in morborum omnium ab humore pendentium, maximeque putridarum febrium principio, medicamento aluum ſubducente vti.*

*Alterum, nunquid morbis hiſce incipientibus, prius ſecanda vena, vel dandum ſit pharmacum ventrem deijciens pari deprehenſa vtriuſque operis indicatione.*

*Tertium, vtrum in febrium putridarum quouis tempore medicamenta noxium humorem purgantia ex frequentibus interuallis laboranti neceſſario offerenda ſint.*

*Quartum poſtremumque, quamobrem vinum Romæ multiſque alijs in locis febrientibus denegetur.*

*Quæ quidem, veluti in medico negocio maximi momenti problemata, Perilluſtris atque excellentiſſimus*

*in omni diſciplinarum genere, ac præſertim in ſacro ſancta Theologia & Medicina eruditus*, Hieronymus Prouenzalis *expendenda coram* SANCT. DOMINO *non minus doctè, quàm eleganter propoſuit; quòd optimè intelligeret, nihil in rerum natura tam excultum, tamque omnibus numeris abſolutum eſſe, quod vlteriorem culturam admittere non poſſit. Porrò autem propoſitis à viro doctiſsmo tanti ponderis quæſtionibus reſponſa, quæ tunc temporis ob loci maieſtatem, atque ob temporis anguſtias preſsiori dedi ſtilo; nunc diſtinctius, ac fuſius in communem vſum pro viribus conferre placuit: Quam prouinciam eò libentius ſuſcepi, quòd noua quædam à veteribus intacta, nec ſatis elucubrata, ad incudem reuocanda, perpolienda que intellectui meo à clariſſimi viri propoſita diſputatione magis, magiſque excitato, occurrerint: Humana etenim induſtria meditando alitur & indefeſſo caleſcit impetu. Iam verò opportunum fuerit primum propoſitorum aggredi; ſi prius paucis declarauero, qua methodo in ſingulis difficultatibus enodandis vtendum ſit* DEI OPTIMI MAXIMI, DEIPARAEQVE VIRGINIS *implorato auxilio.*

DIF-

# DIFFICVLTATVM OMNIVM EXPLICANDARVM METHODVS.

QVAERIT Philoſophus qui fiat, vt artes omnes in dies additione perficiantur. An quia (inquit) Ars pro viribus imitatur naturam? cuius quidem opera cum adhuc prorſus perſpecta non ſint, atque magis magiſque in dies rerum viciſſitudine eluceſcant, nil mirum videri debet, ſi recentiores ſtudioſi & naturæ interpretes veterum placitis & præceptis noua aliqua addiderunt; ideoque, tum in omnibus diſciplinis, tum maximè in facultate medicâ, cuius pars maxima coniecturis quibuſdam inhæret, difficultates non leues ſuſcitarunt, quæ vel etiam doctiſſimorum virorum animos torquent & remorantur. In quarum quidem examine tria, vt mea fert ſententia, diligenter ac admodum circumſpectè ſunt expendenda; Nimirum dubiæ propoſitionis terminus vterque, ſubiectum nempe, vt logici vocant, & prædicatum: Horum enim terminorum æquiuocationis cauſa, quamplurimæ in arte difficultates emergunt, atque inter medicos controuerſiæ, quæ hiſce vocibus ritè expoſitis facilè conciliantur.

Tertium

Tertium, idque maximi momenti ad veterum vniuerſalia præcepta accuratè interpretanda, ac limitanda ſpectat: Hæc enim vt nulla ratione contemnenda ſunt, ita nec vſque adeò rigorosè obſeruanda. Ecce exempla. Magnus Hippocrates quinta Aphoriſmorum ſectione, Aphoriſmo tricesimoprimo. Mulier grauida, inquit, ſanguine miſſo ex vena abortit: Cuius tamen oppoſitum quotidiana demonſtrat experientia: mulieri enim vterum gerenti graui morbo correptæ ſanguinem ex vena cum ſucceſſu quotidie mittimus; quandoquidem phlebotomia exiſtente plenitudine, qua embrio non indigeat, vrgente neceſſitate tutò adminiſtratur, præſertim cum non ſit integra, & plenitudini prorſus non reſpondeat: abortit nanque mulier prægnans miſſo ex vena ſanguine, quando vberiore trahitur copia, antiquorum more, quòd fætus alimento priuetur; conſtat verò tantò magis priuatum iri, quantò erit grandior, nam eo vberiore alimento opus habet. Propterea grauidis mulieribus ſanguinem detrahere nullo tempore vereri non debemus, ſed tanto magis quantò erit maior fætus; ſi enim nunquam omnino mittendus eſſet ſanguis, nunquam eſſet plus, aut minus cauendum. Aphoriſmo quoque ſeptuageſimonono Quartę ſectionis ſcriptum reliquit idem Hippocrates, Quibus in vrina arenoſa ſubſiſtunt, his veſica calculo laborat, quæ quidem Hippocratis ſententia à nemine in hanc vſque diem rectè explicata, ſi ſuperficie tenus ſpectetur, à veritate omnino aliena deprehendetur: propterea quòd luce clarius conſtet, innumeros homines vrinam emittere arena multa refertam ſine vlla veſicæ, aut renum calculi ſuſpicione, licet ex eãdem materia ſint & arenæ & calculi. Proinde aliã excogitaui ego adductæ ſententiæ interpretationẽ rationi, & rerum euidentiæ vndiq; reſpondentem; nempe arenæ nomine eo loci diuinum

Hippo-

Hippocratem intellexiſſe argilloſum quid,ſiue cænoſum, aut lutoſum, ſabulo craſſiori, cui terra pinguis ſit admixta, conſimile, quod matulæ fundo mucoſi excrementi inſtar pertinaciter adhæreſcit; tale enim, quando in vrina ſubſidet excrementum, calculi veſicam exercentis proprium, ac feré inſeparabile eſt indicium: cuius puidem rei cauſam aſſignare præſentis non eſt loci; eò enim ſpectant exempla hæc à me adducta, vt medicinæ ſtudioſi facilè intelligant, veterum ſententias vniuerſales accuratè admodum examinandas eſſe, priuſquam de ijs feratur iudicium. Hæc autem de methodo in ſoluendis quæſtionibus obſeruanda obiter dicta ſufficiant. Reliquum nunc eſt, vt de morbi tempore, atque de purganti medicamento, perinde ac de duobus terminis primi propoſiti quæſiti, videlicet num inter initia morborum purganti medicamento vtendum ſit, Paucis agamus. Mox Hippocratis Aphroriſmorum prima ſectione Aphoriſmo vigeſimoſecundo vulgatam ſententiam. Cocta medicari oportet & quæ ſequuntur, quæ noſtræ ſententiæ fortaſſe aduerſari videbitur, diligenter interpretabimur, ſuiſque limitationibus ſtabiliemus, vt inde quæſiti veritas innoteſcat.

## *De morbi tempore.*

CVM vniuerſum primæ quæſtionis momentum circa morbi principium & temporum rationem verſetur, iuxta preſſam illam temporis ſignificationem, morbi mutationes viciſsitudine quadam ſecundum morbi progreſſum indicantem; de morbi tempore hunc in modum accepto pertractare eſt conſilium. Quemadmodum autem vita animantium in varijs temporibus per varias ætates mutatur, ita & morbus, vt Galeno placuit in principio

cipio libri de Morborum temporibus.

Cæterum quoniam quidquid à naturali ſtatu excedit, inter initia minus, dein verò ſemper magis excedit, quò maior fit progreſſus, quòd ſi poſtea ad priorem naturalemque ſtatum redeundum ſit, neceſſum pariter erit, vt exceſſus tandem conſiſtat, ac vt demum, cum incipit reditus, ſemper fiat minor; idcirco ab his mutationibus vniuerſa ferè diuerſorum temporum ratio in morbis petenda erit; tribus perpetuò in ægrotante conſideratis, morbo nempe ſymptomate, atque cauſa morboſa.

Morbus autem in ægrotante primum ſpectandus ſecundum propriam ſui naturam, vel eſſentiam. Deinde iuxta diuerſa eius tempora; ſecũdum quę varias quoque recipit mutationes; is enim in initio ſuæ generationis minor omnino eſt; mox paulatim augetur, deinde cõſiſtit, poſtremò, ſi ſalubris fuerit, inclinare, ac remitti incipit, quouſque omnino finiatur; verum trifariam ſalubres morbi terminari ſolent iuxta Galeni decreta compluribus in locis, tum præſertim primo Aphoriſmorum, & primo prognoſticorum; videlicet coctione, excretione, & abſceſſu.

Alterum deinde conſiderandum, moleſta ſunt ſymptomata, quæ morbum comitantia diuerſis temporibus varias quoque mutationes recipiunt; nam & ipſa cum incipiunt mitiora ſunt, poſtea progreſſu exacerbantur, dein morbo exiſtente ſalubri aliquandiù conſiſtunt, & tandem & ipſa vna cum morbo remittuntur: Duplicem hanc temporum in morbis partitionem Galenus tertio de Ratione victus in acutis morbis maximè affectauit, dum ſcriptum reliquit, quòd in pleuriticis quando qualia opus eſt, expuere cæperunt, morbus neutro modo augeri poteſt, neque ratione ſymptomatum, neque morbi: oſtenditque non eſſe vtrorumque eandem rationem, quantum ad augumentum & declinationem ſpectare videtur.

Ter-

Tertium verò, quod in ægrotante explorandum eſt, ad cauſas morboſas antecedentes præſertim attinet, vbi ignorandum non eſt, quòd bifariam affectus præter naturam ab aliqua materia pendere poteſt; hæc enim aut certo loco genita, & paulatim congeſta eſt, priuſquàm morbus quaſi ſuſcitetur, quæ temporis progreſſu putreſcens, vel malam aliquam qualitatem contrahens ibidem morbum procreat: nonnunquam verò aliunde expulſa in partem aliquam imbecilliorem decumbens, illamque mox tranſmutans morboſam reddit. Hinc patescit in particulis noſtri corporis id accidere, quod in republica male ordinata obſeruatur, quam oligarchian Ariſtoteles apellat, in qua potentiores minus potentes opprimunt: & hoc modo ſæpe inflammationes, æriſipillata, & reliquas tumorum præter naturam differentias fieri Galenus docet.

## *De morborum temporibus difficultas explicatur.*

CONTENDVNT doctiſſimi in arte viri, & naturæ interpretes, nunquid morborum ſalubrium ab humore pendentium tempora quatuor, principium nempe, incrementum, conſiſtentia, & inclinatio, ſecundum eorundem mutationes, morbi eſſentiæ, cauſæ, & ſymptomatum ratione ſimul ſemper concurrant.

Hanc autem litem ſic dirimendam putamus. Morborum ab humorum fluxione pendentiũ, & inflammationis tempora ab eorum mutationibus petenda, partim in vnum coeunt, partim diſſident; quatuor enim in his ſpectanda occurrunt, fluxio, hoc eſt humoris motus, humor ipſe, ſiue materia morbifica, morbus, affectus nempe præter naturam, & ſymptomata morbum cõſequentia, calor,

rubor, dolor, & tumor: In propoſito affectu, accepta temporum partitione a morbo, & a ſymptomatis, omnium vnus, idemque concurſus intelligitur, quòd incipiente inflammatione commemorata ſymptomata etiam ſuſcitentur, & incipiant; eadem increſcente, pariter & ſymptomata augeſcant; quo affectu inclinante, non diſpariliter inclinant ſymptomata, atque deliteſcunt: At verò quod ad morbi materiam, ſiue cauſam attinet, non eſt par ratio; nam duo in morbifica cauſa expendenda ſunt, motus, & alteratio, ſiue concoctio; quò ad motum ſpectat, vbi inflammatio conſiſtit, morbique, & ſymptomatum pariter ſtatus, ſiue conſiſtentia adeſt, iam motus ceſſauit; quo tempore morbi cauſa a ſuperante natura euicta coctionem ſubire incipit: ita vt vix tunc eiuſdem cauſæ reſpectu augumentum dici poſſit; etenim ſcribentem Gal. quarto De ratione victus in acutis coctio fit per quietem, cui motus quàm maximè aduerſatur, & tandiu morbus ratione cauſæ in principio eſſe dicitur, quandiù cruda exiſtit materia: ita vt morborum à fluxione naſcentium principium a cauſa morbifica acceptum, tria ferè morbi, & ſymptomatum tempora, principium nempe, augumentum, & vigorem includat: quæ omnia ſubaudire oportet de ea inflammationis ſpecie, quæ coctione, atque per halitum reſolutione terminatur; nam quæ in abſceſſum permutatur in aliam quoque morbi naturam degenerat: Proinde & curationis, & temporum ratio diuerſa eſt; principium enim tunc dicetur, quando manifeſtæ ſuppurationis nullum apertum indicium deprehenditur: cùm verò iam tumor aliqua ex parte mollior apparet, incrementum intelligitur; vigor autem maturatione ipſa: Deinde aperto abſceſſu, pureq; è loco emanante, omnia cùm inclinent, poſtremum tempus indicant; & hæc temporum vniuerſalium tumoris in ſuppuratione tendentis diſtinctionis ratio a materiæ tranſmutatione deſumitur,

quæ per concoctionem in pus vertitur: temporum quoq; a ſymptomatis accepta ratio, cum priore eadem eſt; etenim dum pus conficitur, partis affectæ diſtentio augetur, ſanguiniſque feruor in parte inflammata increſcit, dolores,& febres inualeſcunt vſque ad vigorem;poſtea omnia declinant,vt ex Hippocrate clarè patet ſecũdo Aphoriſmorum Aphoriſmo quadrageſimo ſeptimo. Sed quid de diuerſis in hoc affectu temporibus iuxta morbi eſſentiam? Trincauellius vir alioquin Doctiſſimus epiſtolarum ſuarum medicinalium lib. primo epiſtola octaua arbitratus eſt morbi ex inflãmatione ad ſuppurationem tendentis tempora vniuerſalia a morbi ipſius eſſentia diſtincta,cum temporibus a materia,& ſymptomatis acceptis, nequaquam ſimul concurrere; quòd ſcriptum reliquerit Galenus tertio De ratione victus in acutis,& libro De vniuerſi morbi temporibus, multiſque alijs in locis, morbum minorem fieri, vbi materia incipit concoqui: ſed hac in re Valleſij libro decimo controuerſiarum cap. ſexto opinio magis mihi arridet, quippe qui tempora morbi,quæ vocantur vniuerſalia, dicat mutationes eſſe affectus illius, qui eſt ipſe morbus; nam ex his conſtat morbi ætas, quæ concoctione morbificæ cauſæ euidẽtius, quàm quopiam alio ſigno cognoſcitur: Propterea Galenus libro primo de Criſibus vbique morbi tempora non aliter diſtinguenda autumat, quàm materiæ concoctione; Principuum ſtatuens illud, in quo aut nullum,aut obſcurum eſt concoctionis ſignum: Incrementum,in quo manifeſtum;Statum verò, ſiue vigorem, in quo perfectæ concoctionis ſigna conſpiciuntur: idque apertiſſimis explicat verbis capite decimoſeptimo eiuſdẽ libri ex mutationibus,quæ in vrinis obſeruantur; Quod quidem & mihi ſemper rationi quàm maximè cõſentaneum viſum eſt: Propterea tumoris ex flegmone in ſuppurationem abeuntis incrementum, vt erit dum pus conficitur, & ſecun-

dum materiæ mutationem, & ſecundum ſymptomata; ita etiam & penes morbi eſſentiam: quandoquidem ratio ni quàm maximè congruum eſt morbum à materia pendentem tales inire mutationes, ætates, ſiue tempora, quales mutationes, ætates, & qualia tempora morbifica ipſa cauſa coctione ſortitur: Quòd autem ſæpius dixerit Galenus Morbum minorem fieri vbi materia incipit concoqui, quo tempore incrementum ratione materiæ & ſymptomatum eſſe omnes conſentiunt, nil cogit; etenim aliud intelligimus morbum eſſe remiſſiorem, ſiue minorem, aliud morbum eſſe mitiorem, ſalubriorem, atque melioris iudicij; quod intelligit Galenus locis citatis: non enim exacerbari ſymptomata, & affectum eſſe minorem dixit, ſed, vt antea diximus, manſuetiorem, benigniorem, aut meliorem, ἐπιεικεστέραν, apellauit; nam hæc omnia dictio deſignat, vt perbelle notauit Valeſius eo loci: Licet & ipſe quoque, vt mea fert opinio, obſcurus videatur, vbi morborum omnium, qui ab humore proficiſcuntur tempora vniuerſalia ſimul in vnum indifferenter coire affirmat; propterea quod, ſi morbi principium cenſetur quando cruda eſt morbifica cauſa in morbis, quos fluxio excitauit, toto fluxionis tempore cruda iure cenſeri debet; nam, vt teſtatur Galenus quarto De ratione victus in acutis morbis, concoctio fit per quietem; at ceſſante fluxione humor, in partem inflammatam decumbens incipit concoqui, quo tempore omnia, affectus nempe, & ſymptomata inclinare incipiunt; Eccè ergo quòd morborum tempora vniuerſalia, affectus, cauſæ, & ſymptomatum ratione non ſemper ſimul coeunt; non nunquam autem ſimul ſecundum omnem rationem concurrunt, & præcipuè in quibus peccans materia ſenſim quidem concoquitur, verum tota in vnicam critticam expulſionem ſalubriter aſſeruatur; de quibus loquutus eſt Hippocrates Secunda Sectione Aphoriſſimorũ trigeſimo

mo, vbi habet. Circa initia autem, & fines omnia ſunt leuiſſima; circa vigores autem vehementiſſima. Quod dicitur eſt huiuſmodi: Circa initia & fines morborum, omnia, quæ ſunt præter naturam, cauſæ videlicet, morbi, & ſymptomata ſunt leuiſſima: in vigoribus autem vehementiſſima; nam res naturales, vt facultatis robur, & naturales actiones in principio & fine ſunt firmiores, quàm in vigore. Hæc autem de morbi temporibus vniuerſalibus quatuor hactenus, quantum ad propoſitum inſtitutum noſtrum attinet. Nunc quid principij nomine in morbis intelligere oporteat, pauciſſimis declarādū.

## *Quid principij nomine intelligendum.*

PLATO in ſuo Dialogo de natura ad finem ſcripſit morbis ſingulis, vt & ſingulis animantibus, ſuas eſſe ætates, & temporum fatales curſus: Quamobrē, vt animantium quatuor hæ ætates cenſentur, Pueritia, Adoleſcentia, Conſiſtentia, & Senectus; ita & morborum, Principium nempe, augumentum, vigor, & inclinatio: Principium ſanè ab Hippocrate dicitur trifariam, vt notat Galenus primo libro Prognoſticorum cōmento nono, videlicet prima aggreſſio, ſiue primus morbi inſultus, aut ſpatium trium dierum, aut id tempus, quo crudus adhuc eſt morbus. Cæterum Principij ſecundum primum intellectum conſideratio eſt inutilis; in ſecundo ſignificato minimè artificioſa, ſupereſt duntaxat tertia principij ratio, quæ concoctione, aut cruditate finitur; hæc autem vtilis & artificioſa à Galeno, & rectè quidem, cenſetur, quippe quæ mutationes morbi melius attingit; Sed cur Hippocrates ſecundo De Morbis vulgaribus ſect. quarta verſus finem tanti facit in curandis morbis primam morbi inuaſionem-

nem, ſiue inſultum primum; ſi principium iuxta hanc ſignificationem nulla conſideratione dignum ab Hippocrate,& Galeno, vt dictum eſt cenſetur? Huic obiectioni reſpondendum puto,quòd primæ morbi agreſſionis ratio, quod ad tempus attinet, pauci,vel nullius momenti eſt. Quantum verò ad morbi primum aggredientis naturam,& conditionem ſpectat, circumſpecte admodum conſiderari debet. De Morbi temporibus atque de principio hactenus.Supereſt autem,vt de altero dubiæ propoſitionis termino, ſcilicet de medicamento aluum ſubducente,verba faciamus.

## *Medicamentorum Diuiſio.*

MEDICAMENTA omnia ex eò ab alimentis differunt, quòd hæc à natura vincuntur, ſuperanturque,illa verò contra, naturam euincunt, vt à Galeno ſcribitur tertio De Naturalibus facultatibus cap.ſeptimo, nec non tertio De Temperamentis cap.ſecundo,vbi quatuor medicamentorum ſpecies enumerat, Primum, quod à corpore nequaquam mutatur, ſed naturam conuincit; Secundum, quod mutationis initium ſuſcipit à natura, dein putreſcens corpus pariter corrumpit, ac putrefacit; quæ duo medicamentorum genera ſunt venenoſorum; Tertium, quod corpus quidem immutat, cæterum nihil mali affert; Quartum id dicitur,quod agit & patitur;immutat etenim & immutatur; ſed temporis ſpacio vincitur,ac corpori ſimile euadit, quod quidem & medicamentum ſimul, & alimentum nuncupari ſolet.

*Euacuantium Medicamentorum diuiſio.*

MEDICAMENTA, quæ ab Hippocrate ὑπήλατα, quaſi dixeris aluum ſubducentia, duorum ſunt generum; alia enim vel leniendo, vel lubricando ſiue incidendo & detergendo, aut adſtringendo & comprimendo aluum deijciunt: alia determinatum non niſi aliquo negocio humorem ſibi familiarem à toto in ventriculum trahunt, quæ à Græcis propriè cathartica, à Latinis autem purgatoria appellari conſueuerunt; hæc autem à prioribus multifariam differunt; etenim primi generis medicamenta tum manifeſtis qualitatibus, tum à proprietate ſuæ ſubſtantiæ actiones, quas pollicentur, primùm & proximè in humores, quibus occurrunt, euacuandi nempe exercent: Propterea humores, atque excrementa in ventriculo, inteſtinis, atque primis venis reperta, per quas vias tranſeunt, ſine labore educunt, parumq́ue vlterius eorum vis purgatoria extenditur; cathartica verò totius ſubſtantiæ familiaritate id præſtant, quæ, aut eorum forma eſt, & ſubſtantia, aut aliqua abdita facultas horum medicamentorum formam ſtatim conſequens; licet autem prioribus commemoratis medicamentis non omnis facultas hunc potius, quàm illum trahendi humorem denegetur, attamen illa facultas adeò breuis, & imbecillis eſt, vt vix eius actio deprehendi poſſit, niſi vberiori copia exhibeantur: & proinde inter medicamenta verè purgatoria minimè recenſenda eſſe periti Medici determinarunt. Rurſus hæc ab illis ex eo etiam maximè diſſidere videntur, quòd priora lenitiua vocata nihil, vel parum naturæ ſunt moleſta, quòd nulla venenata, ſiue deleteria qualitate ſint prædita; cathartica verò omnia viroſa, & acria cùm ſint, ideoq́ue naturæ aduerſaria, non ſine maximo labore

re.

re ſoluunt, quorum vſu, niſi corrigantur caſtigenturque, plus incommodi, & detrimenti, quã cõmodi laboranti cõparatur. Nec obſtat quòd prioribus etiam aliquando aliquid alterius generis medicamenti addatur; quia id præſtari ſolet non corrigendæ virulentiæ, qua prorſus carent, ſed eorum operationis accelerandæ gratia, quæ languida, & tarda nimium interdum eſſe ſolet; vel etiam vt eorum qualitatibus occurramus, quæ naturæ noſtræ ob prauam viſceris alicuius conſtitutionem, incommodæ ſunt, veluti in tamarindis, qui acciditate ſua debili, ac frigidiori ventriculo officiunt: ſicuti etiam in caſſia, quæ læuia & imbecillia inteſtina habentes ob id lædit, quia tormina, flatus, & dolores in illis concitat. Porrò autem ſi purgatio nil aliud ſit quàm humorum ſua qualitate moleſtantium vacuatio, vt ait Galenus Aphoriſſimorum primo cõmento ſecundo; purgans medicamentum erit, vt diximus, quod ſanguinem à recrementis ſua qualitate infeſtantibus purum reddit: hinc facilè innoteſcit maximo verſari in errore, qui pharmaca proprios humores attrahere, atque à ſanguine ſeiungere aſſequi nequeunt; etenim & à veritate & Galeni placitis ſecundo libro De elementis circa finem, primo De naturatibus facultibus cap. decimoquarto; & lib. De atra bile cap. ſexto recedunt.

## *Quot ſint animaduertenda in vſu purgantis Medicamenti.*

QVAE in vſu purgantis medicamenti circumſpectè admodum ſpectanda ſunt, decem ferè ab Auicenna quarta primi cap. 3. numerantur; hæc autem vel ad purgans medicamentum, vel ad laborantis naturam, vel ad externa ſpectare videntur, necnon etiam ad humoris purgandi tum qualitatem, tum quantitatem; Quòd laboranti tale præbendum ſit medicamentum, aut

bilem

bilem tum flauam tum atram, aut pituitam, aut ſeroſum humorem euacuans exactè nouimus: ſed illud etiam ignorandum non eſt, quòd vbi miſcendorum ſimul purgantiũ medicamentorum occaſio ſe ſe offert, congenera vtiq. eſſe debent, hoc eſt eiuſdem qualitatis & naturæ, vt eodẽ tempore ſoluant; quod animaduertit Galenus in lib. Quos & quando purgare oportet; eorumque vehementia & inſuauitas pro viribus moderanda eſt, ſcribente eodem Galeno libro De compoſitione medicamentorum per genera. Cæterum quantum purgãtis medicamenti præbere oporteat vix aſſequi poſſumus. Gal. De curandi rat. per ſang. miſſ. cap. 12, lib. De ſectis c. 5, 2. Aphoriſm. 22. Aphoriſm. 1. com. 23. quantitatis inquit, euacuationis nullum habemus indicium niſi ex tolerantia & facilitate: proinde Princeps 4. *1*. cap. *3*. infra ſubſiſtendum potius quàm liberalius euacuandũ aſſerit; licet propria cuiq; purganti medicamento doſis non excedenda conſignata ſit. Quod ad laborantis naturam ſpectat, vires eius, qui purgari debet primum ſunt diligenter expendendæ: alij enim minus, alij magis euacuationes perferũt, vt aſſerit Galenus tũ Aphoriſmorum 4. comment. 2. tum etiam Aphoriſmorum primo com. *2*4. Quicumque etiam multis ſcatent cruditatibus; vel qui cibos iam antea craſsi viſcidique ſucci frequenter deuorarunt, & quibus Hypochondria extenſa atque inflata ſunt, aut aliqua viſcerum ineſt inflammatio, ij purgationibus opportuni minimè cenſentur; quibus etiam faſtidium ineſt moleſtæ ſunt purgationes Auicenna 4. primi cap. quinto. His etiam accedit, quòd ſi nulla ſit repletio, nulla opus eſt euacuatione; complexio etiam vel nimium calida, vel inpensè frigida purgationem nõ æquè facile tolerant: ſimiliter ſi laborans raræ admodum ſit texturæ, ob inſignem ſpirituum reſolutionem purgationem, vel etiam quamuis aliam euacutionem ægrè ſuſtinet: ſic etiam ætas puerilis & ſenilis purgationi minimè

C eſt

eſt accõmodata. Quod autẽ ad externa attinet, anni tẽpora immoderata, regio nimiũ calida, vt Meridionalis, vel impẽsè frigida, vt ſeptẽtrionalis, ars laborioſa, vigiliæ immoderatæ, intẽſus dolor, omnia integram non ſolũ purgationem, ſed etiam euacuationem quãlibet haud ſine vitæ diſcrimine tolerant: At verò de humoris purgandi qualitate Hippocrates Aphoriſmorũ primo Aphor. ſecundo breui veluti oraculo egit. Si talia, dicit, purgẽtur qualia purgari oportet confert & læuiter ferunt; quo in loco de pura ſinceraq; peccantiũ humorũ qualitate nequaquam verba feciſſe ex eo facilè perſuaderi poteſt, quòd humores ſola qualitate peccantes non purgatione, ſed alteratione duntaxat opus habent; quod pauci animaduerterunt. Nec obſtat quòd verba illa ( talia & qualia ) qualitatem potius, quàm copiam ſignificare videantur; quoniam differentia quoque, vt docent logici, in quale quid prædicatur: Quare qualitatis nomine eo loci Hippocrates intelligit ſpeciẽ, ſiue differẽtiã alicuius humoris redundantis, vt in noſtro De purgatione tractatu fuſius explicabamus. De quantitate autem humoris euacuandi ſic ſentiendum eſt. Euacuatio omnis & purgatio plenitudini & cacochymiæ reſpondere debet; hac tamen lege ſeruanda, quòd ſi ob nimiam humorum purgandorum copiam de virium inſigni iactura iure verendum ſit, tunc nõ confertim vniuerſi peccantis humoris purgationem moliri oportet; ſed tota noxij humoris copia partitis purgationibus ex congruis interuallis detrahenda, iuxta Hippocratis ſentẽtiã Aphoriſmorũ ſexto Aphor. vigeſimo. Hæc autẽ ad verã propriãq; purgationem, quæ cathartico celebrari ſolet, ſpectare videntur; Tot enim in ea ventris deiectione minimè requiruntur, quæ lenientibus ſiue placidè ſubducentibus pharmacis in dies in omnibus ferè morbis agitur, de quibus pauca ſunt dicenda.

## *De Medicamentis lenientibus.*

QVAE ergo medicamenta placidè aluum ſubducunt leuia, benedictaque ab Arabibus & iunioribus appellata, ferè hæc ſunt. Siliqua ægyptia, quæ caſſia ab Arabibus & iunioribus dicitur, Medicis antiquioribus minimè cognita. Manna ab Arabibus dicta, ſiue mel acreum à Græcis. Tamarindi, qui fructus, ſiue ad palmularum ſilueſtrium genus attineant, ſiue aliud ſint, à Græcis poſterioribus oxiphænices vocantur, quaſi acetoſæ palmulæ. Roſa etiam, vel eius ſuccus. Violæ, vel earum ſuccus. Epithymum, cuius in puluerem redacti dragmæ quatuor ex iure, vel aqua boraginis datæ clemēter humorem ſubducunt melancholicum. Pruna. Mirobalanorum genera tria præcipua, citrina, chepula, & inda. Serum lactis præſertim caprini, ſi largius propinetur, atque in eodem ordine lac aſinæ coctum Hippocrates, & Galenus quarto De ratione victus in acutis cōment. ſeptimo poſuerūt; His etiam multi addunt Rhabarbarū, Aloes, & ſenam. Quorum ſingula, occaſione tanti momenti oblata, per compendium, quantum ad inſtitutum medicum attinet, nunc expendam: Vt enim minimè bonus poteſt eſſe artifex, qui ſua ignorauerit inſtrumenta, ita probè mederi nullus ſciet, cui auxiliorum materia penitus, vel magna ex parte incognita exiſtit.

## *De Caſsia.*

CASSIA igitur, quam ſolutiuam appellamus ob id, quia ad excitandam aluum hodie frequentiſsimè vtimur, Dioſcoridi atq; Veteribus Græcis incognita, ægyptia ſiliqua à recentioribus apellata, vt antea diximus, ex arbore ſatis procera in India,& in Aegypto naſcens, nigra,dulcique medulla repleta, leni, ac lento cremori ſimili, calida, atque humida, ſed admodum temperatè, ideoque ordine primo excalfaciens & humectans lenit, reſoluit, biliſque feruorem extinguit: Aluum quoque clementer mouet, cuius uis ventriculum non pertranſit: Quamobrem inter febrium initia à Medicis in arte verſatis cum ſucceſſu datur ante venæ ſectionem; quòd ventriculum duntaxat expurget, & aluum emolliat; nocet autem, vt antea diximus, ijs, qui admodum lubrici ſunt, & inteſtinorum imbecillitate afficiuntur: Hæc autem noxa tollitur Maſtiche, nardo, myrobalanis, & Rhabarbaro admixtis: Vrinæ difficultatibus mirificè auxiliatur, ſi cum diureticis deuoretur; quibus tamen aluus eſt adſtricta offerri non debet, niſi eius facultas ijs augeatur, quæ laxandi aluum eadem vi magis polleant, quale eſt amigdalinum oleum & pſilij mucagines: Bilem etiam, & pituitam nullo ſanè incommodo expurgat, pectus & fauces mulcet, eorumque inflammationes reſoluit: Renes à calculis expedit, præſertim ſi cum glycyrhizæ decocto, alijſue medicamentis vrinam cientibus bibatur; quin etiam frequenter deuorata calculos renaſci prohibet; quinimò ſunt qui affirment, quòd ſi quis quotidie ante prandium ternas pulpæ caſſiæ drachmas deuorauerit, is nunquam calculos in renibus gignet, & a ventriculi do-

loribus

loribus ſe perpetuò tuebitur. His accedit, quod calidis febribus admodum confert, & exterius illita eriſypelas, ceteraſque inflammationes, ac podagricos, chiragricoſq; dolores ab his ſuſcitatos demulcet; Sunt è recentioribus Medicis, qui hoc medicamentum nunquam vſurpant, niſi picræ puluerem admiſceant, quod & ego cum Matthiolo conſultò factum exiſtimo, vt longa me docuit experientia; præſertim vbi ventriculi, & inteſtinorum imbecillitas adſit. & hæc de ſolutiua caſſia obiter ſint dicta.

## *De Manna.*

MANNA, qua hoc tempore ad ciendam aluum vtimur, ros quidam, ſiue liquor ſuauis eſt, qui, vt omnes norunt, ex aere ſublucanis temporibus veniens ſolo interdum inuenitur hærere arborum ramis vt plurimum, & frõdibus, herbis, & lapidibus, qui breui temporis ſpatio coaleſcens grumoſus in gummi morẽ euadit; cuius duo ſunt genera, quorũ vnũ ab oriẽtali plaga, alterũ verò à calabris defertur: Eius quod ex Oriẽte exportatur duplex deprehẽditur differentia, vna longè præſtantior, quã à granorũ maſtiches ſimilitudine maſtichinã vocãt, infirmior altera, quæ bõbycina appellatur, quæ, aut eſt eadem maſtichina ſenio exhauſta, aut ſaccaro alijſque impoſturis adulterata. Calabrienſis, quæ ſtirpium frondibus inſidens colligitur, proindeque foliorum manna cognominata minutis granulis coſtans, tranſlucida, & grauis, candida, guſtui dulcis, atque ſuauis, primas vtique partes obtinet, plurimique penditur; Hac infirmior eſt, quæ ramis inſidet; tertias verò partes ſibi adſiſcit, quæ lapidibus, & ſolo inheret; hæc nimirum granulis conſtat craſſioribus & colore obſcuriore. Duo

pariter mannæ genera ab Arabibus capitibus diſtincta prodita reperiuntur, quorum alterum mannam, alterum verò Tereniabin appellant; vna enim liqueſcens melli ſimilis, alia in grumos concreta videtur, quæ profectò illa eſt, quæ ad nos aduehitur: Mannam hanc ſoluentem veteribus ac Gal.præſertim incognitam falsò Auerroes, & poſt eum quamplurimi crediderunt; quandoquidem Galenus tertio De alimētorum facultatibus cap.de melle,vbi habet, iupiter melle pluit, huius mannæ luce clarius meminit; queadmodū & Plin. lib. vndecimo cap. duodecimo:ante Galenum,& Pliniū conſtat Theofraſtū Exiodi teſtimonio lib. tertio de plantarum Hiſtoria cap. nono eandē mannā vtiq;cognouiſſe.Porrò autē ea māna, quæ inciſo fraxini cortice in Apulia & Calabrienſi agro hac ætate canicularibus diebus collacrymare cœpit,nullus quidem plantæ liquor eſt,ſed ipſa eademque manna, quæ diebus prægreſſis eaſdem in arbores deciderat. Manna tàm Auicennæ, quàm Meſues teſtimonijs æquali ferè temperamento conſiſtit; licet ad calidum paululum inclinet, proinde Auerroi calida humidaque habetur. Deuorata aut hauſta aluum ciet, per ſe tamen imbecilliter, ideoque tum prægnantibus, tum pueris ipſis tutò ſemper exhiberi poteſt, vt & in principijs morborum; licet bilem à primis venis ſine labore ducat: Aperit,emollit gulæ, pectoriſque partes læuigat. & hæc de manna hactenus.

## *De Tamarindis.*

PALMVLARVM genus, quod officinæ Mauritanos ſecutæ tamarindos appellant, Græci à ſaporis acrimonia oxiphœnica vocarunt, atque à nonnullis agreſtium palmarum fructus exiſtimantur: ex ijs autem,

qui

qui ad nos exportantur, nulli, vel pauci integri reperiuntur, ſed plerumque contriti, & in maſſam quandam compacti deferuntur; qui quidem fructus prunis rotundis ferè ſimiles ordine ſecundo, vt dicit Meſues refrigerant ac deſiccant; tametſi Auerroi tertio adſcribantur. Aluum cient bilemq; ſine labore ſoluunt, exuſtos humores leniunt, ideoque inſaniam & furorem infrænant, obſtructiones hepatis, & lienis affectus mulcent, ad ſcabiem faciunt; quin & contra omnes cutaneas exulcerationes, quæ a ſanguine præaſſato emerſere conducunt. Tuto ergo inter morborum initia ad primos ductus expurgandos vſurpari poſſunt.

## *De Roſarum ſucco ſiue Diluto.*

ROSARVM ſuccus & dilutum e puniceis veluti præſtantioribus elicitur, item ex ſubrutilis, cui infirmior eſt facultas, vi reſerandi, diſcutiendi, abſtergendi pollet, ventrem deiicit, bilem non admodum à longinquis facilè trahit, ſanguinemque bilioſum expurgat, felle ſuffuſis & ventriculi, iecinoriſq; obſtructionibus opem mirificè præſtat, cor item corroborat, eiuſque palpitationi ſalutare eſt remedium, bilioſis febribus mirificè medetur; propterea roſarum dilutum, ex quo rhodopharmacum conficitur, quod pharmacopolæ ſyrupum roſatum ſolutiuum appellant, in eorum medicamentorum genere recentiores Medici recenſent, quæ, quoniam abſque aliqua noxia aluum ſubducunt, ſuo more benedicta nuncupant; ita vt luce clarius conſtet & ſyrupum roſaceum ſolutiuum iam dictum, & mel roſaceum ſolutiuum in principiis febrium ad ciendam aluum, atque expurgandos primos

meatus nulla vel etiam prægreſſa peccantium humorum præparatione ſummo cum ſucceſſu ſine vlla noxia propinari poſſe.

## *De violis.*

VIOLAE, quæ primo vere florent ſolis ardorem, qui vim reſoluit minimè expertæ, nec imbribus dilutæ, refrigerant & humectant ordine primo; humiditate, quæ ſuperflua recentibus ineſt, aluum emolliendo cient; verum areſactæ deiectoriæ ſunt facultatis, non quòd emolliant; ſed quòd diſſoluant, vt rectè adnotauit Matthiolus: earum ſuccus & ſyrupus ex eo factus (muccarum violaceum appellant) ad vncias quaternas vel quinas exhibitus aluum ſine moleſtia deijcit: & quoniam aſperæ arteriæ ſcabritiem lenit, medeturque anginis & columellæ vitijs, ſitimque arcet, præcipuoque auxilio eſt pectoris & lateris inflammationibus; recentiores medici in pleuritide, vel etiam inter morbi initia ſumma cum fælicitate hunc vſurpare conſueuere: Hanc vim ciendi aluum, quam in violis commemoratis quotidie obſeruamus, Galenum non nouiſſe ex his facilè deprehenditur, quæ ſexto ſimpl. medicamentorum litteris mandauit.

## *De epithymo.*

EPITHYMVM, cuius frequens eſt vſus, & cuius meminit Dioſcorides libro quarto cap. centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, & Gal. ſexto ſimpl. medicamentorum, Thymi facultatem habet ad omnia efficacius, exſiccat & calefacit ordine

ne tertio. Illud ſibi peculiare aſciuit epithymum, ſcribente Meſue ſuo de ſimplicibus libro, quod atram bilem cæteris medicamentis excernit valentius quidem, ſed facilè & citra vllam moleſtiam: propterea inter medicamēta potius benedicta ac placidè ſoluentia, quam lenientia recenſeri poteſt; licet latius ſumpto lenientiū medicamentorum vocabulo, ſolutiua etiam ſine labore deleteriaq́ue facultate intelligi ſoleant. Porrò autem efficax admodum eſt medicamentnm ad cerebri morbos nempe ad melancholiam, epilepſiam, diuturnos capitis dolores, aliasque atrabiliarias egritudines. Confert etiam cordis tremoribus & animi deliquijs; Præterea cunctis lienis affectibus mirificè opitulatur; Item renum vitijs, & Hipochondriaca melancholia vexatis; Quin & quartana febre detentos liberat; Vtiliſſimè quoque datur aduerſus carcinomata, elephantiaſim, & vlcera maligna. His etiam accedit, quòd quouis tempore indifferenter, vel etiam incipientibus morbis exhiberi poſſit, quòd facilè noxios humores educat.

## *De Prunis.*

PRVNORVM differentiæ ferè inexplicabiles ſunt; quorum primas partes obtinent damaſcena, quæ ſicca ex Syria Venetijs importantur: Secundas tenent in Germania, quæ ex Pannonia & Tranſyluania conuehuntur; quæ minuſcula ſunt maiorem ineunt cum palato gratiam, in vino decocta & ſaccaro aſperſa; hoc enim modo parata & primis menſis deuorata, præterquàm quod eſui placent, commodiſſimè aluum citant; nihil enim adſtrictionis hæc habent, quòd potius dulcia ſint. Porrò autem pruna bilem deijciunt; proinde vtiliter à Medicis vſurpantur ad fe-

bres, alioſque bilioſos affectus ſuperandos: ob id pharmacopolæ ex ijs quotannis electaria, intinctus, liquoreſque varios parare conſueuerunt, quibus non modò homines per probam valetudinem guſtu non ingrato delectantur, ſed etiam languentes refocillantur. Nec obſtat quòd ſcribat Dioſcorides libro primo capite centeſimo trigeſimoſeptimo pruna damaſcena ſiccata aluum ſiſtere; Quam quidem ſententiam improbat Galenus libro ſeptimo ſimpl. Cui Braſaolus apertè refragatur ſuo De ſimpl. examine, vbi Galenum ſcribit hac in re fuiſſe deceptum, non Dioſcoridem; Hoc inquam non obſtat, quoniam pruna damaſcena laudatiſſima, vel his ſimilia, eſu ventrem ſoluere non inefficaciter, adſtricta mox aluo relicta, tamarindorum & myrobalanorum modo, communis medicorum experientia cumulatiſſimè indicat, quod & adnotaſſe viſus eſt Galenus ſecundo de Alimentorum facultatibus; ſed ſi Dioſcoridem quoque tueri velimus, nihil aliud dicendum putat Matthiolus, quàm quòd pruna damaſcena ſiccata aluum adſtringere tradiderit, vt referuntur ad alia, quæ minus adſtringunt, non tamen quòd voluerit ea eſſe deiectoriæ facultatis expertia. Quibus ſic conſtitutis, tam notum eſt quàm quod notiſſimum pruna hæc & ex his confecta electaria ad mouendam aluum primis morbi diebus nulla humorum præparatione prægreſſa ad deturbanda excrementa in communibus ductibus reperta, tutò laboranti offerenda.

*De Myrobalanis.*

MYROBALANVM apud veteres glans eſt arboris ſimilis Heliotropio, magnitudinem nucis auellanæ habens, quam Dioſcorides libro quarto cap. 154. balanon μυρεψικὴν, hoc eſt glandem vnguentariam, quòd glandis huius nucleus

præcioſa

precioſa ingrediatur vnguenta, appellare conſueuit, cuius vires memoriæ prodidit Galenus libro ſexto. Simplicium medicamentorum: ſed hæc balanus myrepſica non eſt præſentis inſtituti, quòd de Mauritanorum myrobalanis aluum cientibus nobis ſit ſermo; quorum fructuum quinque genera cenſentur veteribus græcis prorſus incognita, nempe flaua, chepula, indica ſiue nigra, empelica, & bellerica, quæ omnia vt viribus, ita & facie inter ſe diſſident. Quamobrem putat Matthiolus, & rectè quantum ego puto, à diuerſis enaſci arboribus; quanquam non deſint, qui affirment flaua ſimul & chepula ex vna eademque arbore naſci, exiſtimantes flaua immatura ab arbore detrahi, chepula verò cum conſummatam maturitatem iam fuerint adepta. Recenſentur myrobalanorum genera omnia inter ea medicamenta, quæ alnum citra noxiam deijciant; nam etſi purgandi facultate ſint prædita, nulla tamen virium imbecillitate, nullo labore, aut moleſtia id præſtant, quinimmò ſua adſtringēti facultate cor, iecur, & ventriculum roborant: proinde curandis morbis ex fluxionibus pendentibus, ac præcipuè artuum affectibus accommodatiſſima ſunt præſidia, niſi quòd obſtructiones, & viſcerum infarctus nonnihil augere putantur. Porrò autem myrobalanis ipſis medicamenta omnia, quæ laborioſè purgant, perbellè infrænantur, id autem noxæ, quod illis adſcribunt, nempe quòd viſcerum infarctus augeant, eorum infuſioni aut decoctioni non æquè adſcribi poteſt, præſertim additis aperientibus & vrinam cietibus medicamentis, vel ſi ſero caprino macerata, aut fumariæ ſucco, ſiue cum abſcyntio aut agarico aut Rhabarbaro exhibeantur, oleo etiam amigdalino perſunduntur, vel cum caſſiæ nigræ medulla, aut manna, aut tamarindis deuorantur, vt contracta inde pinguedine ventriculo nō inhæreant. Illud autem prætereundum non eſt, quòd vbi ventris deiectione ſit opus,

eorum tantum dilutum hauriatur, vbi autem adſtrictione, in puluerem conterantur, & ſubinde propinentur. Flaua priuatim bilem detrahunt, eiuſque feruorem reprimunt; ob id eos peculiariter iuuant, qui temperamenti calidi ſunt. Chepula pituitam exhauriunt, ventriculum & expurgant & roborant, mentem & ſenſus exacuunt, ac viſum præſertim, danturque vtiliter aqua intercute affectis, & diuturnis febribus detentis. Nigra vtranque bilem deijciunt, præſertim exuſtam, membrorum conferunt tremoribus, elephantiacos iuuant, mærores ac melancholicos affectus fugant, coloriſque nitorem conciliant. Emplica pituitoſos educunt humores, ventriculum à pituita, alijſque noxijs humoribus expurgant, vomitiones cohibent, appetentiam cibi conciliant, ſitimque extinguunt, ac ventriculum confirmant, intellectum augent, cor & cerebrum corroborant. Bellerica ea omnia præſtant quæ & proximè dicta: proinde non poſſum non niſi admirari Actuarium, qui inter recentiores Græcos ſolus horum fructuum meminit, ſcribentem myrobalana vomitum prouocare, cum omnia horum genera planè vomitiones compeſcant, vt quotidiana docet experientia. Myrobalanorum genera omnia cum frigida ſiccaque ſint; flaua nanque, indica, chepula, & bellerica ordine primo eùm refrigerent, & exſiccent ſecundo; empellica verò primo tantum tum refrigerent tum exſiccent, dubitant nonnulli, qua facultate aluum deijciant, vel adſtrictoria comprimendo, vel abdita ſoluendo. Quam quidem quæſtionem explicare præſentis non eſt loci. Cum itaque medicamenta hæc inter aluum clementer deijcientia recenſeantur, in eorum genere pariter locanda erunt, quæ in morborum principijs innoxiè vtiliterq; exhiberi poſſunt, quod quidem demonſtrare primum fuit noſtrum inſtitutum.

De

## *De ſero lactis.*

SERVM, lactis aquoſa ſubſtantia extergendi facultate pollet, ſumiturque ſubducendi ventris gratia, vbi copia vberiore hauriatur vt trium librarum, plus minuſue menſura, ac per clyſteres inijcitur, extergens & abluens ſine mordacitate, & acrimonia inteſtina. Meſoes ſerum ex nigrarum caprarum lacte, deinde quod ex ouillo elicitur præfert, bilem tum flauam tum atram ab exuſtis humoribus genitam deijcit, atque citra omnem mordacitatem & laborem; quo fit vt mirificè conferat maniacis & melancholicis, felle ſuffuſis, & lienoſis; vtiliter quoque datur ex bile febrientibus, & viſcerum ac vaſorum obſtructionibus tollendis maximè eſt opportunum. Galenus decimo ſimpl. medicamentorum facult. huius meminit. Quod quidem frigidum & humidũ eſſe quarto De ſimpl. medicamentorum facult. cap. decimoſeptimo idem Galenus aſſerit: eandem ſententiam habuiſſe viſus eſt libro ſeptimo methodi medendi, vbi ventris calidas intemperantias lactis ſero fugare ſtudet. Huius tamen oppoſitum ſenſiſſe viſus eſt lib. De ſimpl. medicamentis cap. decimo, & tertio de alimentis cap. de lacte; cuius etiam ſententiæ eſt Aetius, qui ſermone ſecundo cap. nonageſimooctauo eadẽ verba ex Galeno retulit, quæ etiam cap. centeſimo nonageſimonono ab eodem comprobata fuere, dum inter ea, quæ ordine primo calefaciunt', ſerum lactis repoſuit; quas quidem de lactis ſero ſententias oppoſitas in hunc modum conciliandas puto, ſi calidum ſerum eſſet, lac eo calidius, quo ſeroſius foret, cùm tamen aſininum, quod maximè ſeroſum eſt, multum ſit frigidum, alioquin præ cæteris in curanda febre hæctica non eligeretur;

quod

quod etiam exigua eius dulcedo, ob quam aceſcit potius, quàm amareſcit nobis apertum facere poteſt. Cæterum vbi ipſum calidum, acriſque qualitatis particeps Galenus ac multi cum Galeno ſtatuere videantur; propter admixtas ſibi calidas partes, quibus lac coagulatur, non autem ſua ipſius ratione hoc ipſum intellexerunt: ſed lactis ſerum acetoſum, calidum non nihil dici poteſt, ſi ad ſerum eiuſdem generis minimè tamē acetoſum conferatur. Quod quidem, quoniam deijciendi aluum facultate pollet, citra vllam vim & moleſtiam in eorum medicamentornm cenſu iure ponitur, quæ lenitiua ſiue clementer ſoluentia appellata, morbis inchoantibus nulla præhabita moleſtantium humorum præparatione, laborantibus vtiliter propinantur.

## *De lacte.*

LAC vtraque qualitate temperatum eſt, ac tenui ſubſtantia præditum, hinc fit quòd in omnem partem facilè alteratur, & non niſi temperato ventriculo conuenit; in frigido enim facilè aceſcit, in calido bileſcit. Quamobrem purum, expurgatumque ventriculum requirit, non ſolum ab omni excremento, ſed vel etiam ab omni prorſus cibo, tam facilè alterius ſocietate corrumpitur. Adeò vt neque aerem ferat, aut ſumptum ſtatim corporis motum; quòd autem in morbis tam calidis, quàm frigidis damnetur, hoc quibuſdā exemplis Aphoriſmorū quinto ſexageſimo quarto oſtendit, nimirum in febribus, quæ præterquam quòd corpus vniuerſum excalefaciunt, ferè ventriculum multa putredine onerant. Ita neque in bilioſis delectionibus conuenit; etenim bilem auget & fluxum mouet, ſitientibus etiam ob eorum ventriculum

æſtuantem mirificè obeſt, qnemadmodum & capite dolentibus, quòd natura vaporoſum ſit, ideoq; caput repleat, atque quoniam capite dolentium occaſio ex ventriculo nunc calido nunc frigido oritur. Inter frigidos morbos primum occurrunt Hypocondriaci affectus, in quibus ilia ſuſpenduntur ac murmurant; id enim citra flatuum copiam fieri nequit: ſolis ergo his vtiliter datur, qui aut ſola laborant ſiccitate, aut certè magis ſiccitate quàm caliditate, aut frigiditate; etenim & vbique alibi vrgentiori incumbendum eſt; tales ſunt, qui laborant febre hectica, aut tabidi, aliquando etiam hæticis, quibus vlcus in pulmone iunctum ſit, vtiliter propinatur, multo magis conueniat in his qui præter rationē contabeſcunt, nēpe quos neq; morbus circunſtans calor conſumit, ſed virtus relinquit; promptiſſimè enim hos lac & vinum reſtituit. Sed vt loci non nulli ex Galeno concilientur, in quibus de lacte differens ſibimet aduerſari videtur, illud in primis ſupponendum eſt, quod lac ipſum aliorum calidorum reſpectu, ipſius videlicet ſanguinis, frigidum potius, quàm calidum merito à Galeno cenſetur quarto de ſimpl. medicamentis facult. Quapropter & quinto Aphoriſmorum Aphoriſmo quadrageſimo lac tanto frigidius ſanguine eſſe affirmauit, quanto hepatis carne adenes frigidiores cenſentur; à glandoſa enim mammillarum frigida humidaque carne elaboratur, vnde frigidam potius, quàm calidā naturam cōtrahit, Quod ſi interdum calidum illud ſtatuat Galenus vt lib. de alimētorū facultatibus tertio, & quinto de ſimpl. medicam. facult. non quidem ratione ſui, ſed propter partium calidarum, pinguis nempe ſubſtantiæ admixtionem, vel etiam ſeroſæ, ſi de coagulato lacte loquamur: ob id & Priuceps Mauritanus lib. tertio ſen. decima tract. tertio, cap. ſexto lac vacinum dicit, à quo extractum ſit butirum ſtipticum eſt & frigidum. Cæterum cum ex tribus con-

ſtet ſubſtantijs lac ipſum qualitate diſſidentibus, prima quidem craſſa, ex qua caſeus conficitur, altera pingui ex qua butyrum, & tertia aquea ex qua ſerum, atque ex his pinguis modicè calida cũ ſit, craſſa verò paululũ ab ea de clinet, excrementum verò illud ſeroſum frigidum & humidum ſit, ex ſui natura vniuerſum lac temperatum ſi quis dixerit, à ſcopo non aberrabit; quod & ſenſiſſe viſus eſt Galenus libro quinto De ſimpl. medic. facult. & quoniam quæ tepidè calida ſunt, eatenus temperata dici poſſunt, quatenus naturæ noſtræ, quæ in calido & in humido eſt poſita, maximè ſunt familiaria, hac ratione vel temperatum, vel modicè calidum lac ipſum iure meritò cenſeri debet. Rurſus de lacte apparens quædam contradictio in dictis Hippocratis nũc expendẽda venit; ſcribit enim quarto De ratione victus ĩ morbis acutis tex. octauo, febre ardenti correpto lac aſinæ coctum dandum; cuius oppoſitum quinto Aphoriſmorum Aphoriſmo ſexageſimoquarto apertiſſimis verbis docuit; lac enim, ait, dare febrienti malũ, & quæ ſequuntur: Cui apparẽti contradictioni hunc in modum occurrẽdum putamus, quòd duplici conſilio laborantibus febre lac propinari poſſit; vel alendi, vel purgandi gratia; prima ratione febrientibus aduerſiſſimum eſt, cùm parcè datum à febrili calore facilè in nidorulentã qualitatem vertatur, atque corrumpatur; At verò ſi vberiore exhibeatur copia, & pro purganti medicamento ſorbeatur, ſine noxa febre arden ti obſeſſo ab Hippocrate datur: Propterea ſeptimo De morbis vulgaribus, lacte aſinino cocto & bibito ad duos dies nouem heminarum menſura bilioſam purgationem ſubortam fuiſſe idem Hippocrates teſtatur etenim hac menſura epotum tantum abeſt, vt à calore febrili vincatur, in nidorulentamq; qualitatem abeat atque corrumpatur, quin potius è cõtrario febrilem euincit ac ſuperat calorem, atq; ventrem ſatis commodè deijcit, ex quibus

hunc in modum conſtitutis ex Hippocratis & Galeni decretis, alia oritur difficultas, à paucis animaduerſa; qua ratione in lacte excocto vis purgandi ſit poſita, cùm nihil in lacte intelligatur, quod ventrem deijcere valeat, excepto eiuſdem ſero, quod ex lactis decoctione promptiſſimè exhalat: Proinde lac ſeroſum aluum ſubducit quidem, caſeoſum verò ſiſtit, craſſoſque ſuccos gignit, atque inde obſtructiones in iecinore, calculique in renibus gignuntur; vt rectè adnotauit Galenus tertio de Alimentorum facult. cap. de lacte: Quapropter in hac ſuborta controuerſia alienum non erit fortaſſe à ratione, ſi dixerimus Hippocratem per decoctum lac non admodum coctum Intelligere, ſed excalfactum tantum ad aluum ſubducendam propinare; quod & Aetius quoque affirmare deprehenditur, vbi de carbunculis in palpebris ex Seuero egit; moderatè nanque coctum illud] eſſe exhibendum ſcribens, quaſi calefactum dicere voluit: cui ſententiæ videtur etiam ſubſcribere Celſus libro ſecondo cap. vndecimo: Atque, vt ſemel dicam, Medicamentum cùm ſit leniens, totam quidem ſubſtantiam mordacitatis expertem habens, medicamentis, de quibus nunc agimus mitè lenientibus & ſoluentibus citra vllam controuerſiam annumeratur: Proinde in morborum vel etiam principio ad mouendam aluum ab antiquioribus ſumma ratione concedebatur.

## *De Rhabarbaro.*

AVERROES libro quinto ſuarum collectanearum in Galenum & reliquos rigorosè inuehitur, qui Rhabarbarum adſtringendi duntaxat facultate pollere dixerunt, quòd purgandi vim, qua præditum eſt, minimè cognouerint:

cùm tamen Auerroes ipſe hac in re notandus ſit, quòd neque Galenus, neque cæteri ſeniores Rhabarbari noſtri vſus vſquam meminerint, nec quicquam de eo poſteritatis memoriæ prodiderint, tametſi de Rhapontico à Dioſcoride deſcripto lib. tertio cap. ſecundo plura tradiderint; inter cuius facultates nulla penitus, quæ purgando ſit, inueniri poteſt; cuius etiam Rhapontici meminit Galenus octauo ſimpl. medicamentorum, nec non in primo lib. de Antidotis: Sed Rhabarbarum, quod hac noſtra tempeſtate paſſim vſurpatur, ex troglodytica Aethiopiæ regione ad nos deferri, ibique etiam oriri compertum eſt, quòd ea regio barbarica antiquis fuerit appellata: eſt autem plantæ radix bipalmarem longitudinem ſuperans, colore exterius ex ruſo nigricante; verum non omnibus æqualis habetur craſſitudo; aliæ enim eius generis radices tenuiores, aliæ craſſiores exiſtunt, vt in cæteris etiam plantis plerunq; fit; veruntamen quæ ad ſummam craſſitudinem adoleuerunt, humani cruris molem æquare ſolent. Porrò autem Rhabarbarum hoc ſecundo ordine calefacit, ac ſiccat: conſtat autem tum aqueis, tum terreis qualitatibus, quæ adſtringentem ei facultatem contribuunt: eſt & aerearum raritatem ſubſtantiæ conferentium particeps, nec ignearum quidem expers eſt, à quibus amaritudinem, concurrentibus & terreis qualitatibus, acquirit: At quoniam terreſtris qualitas in imo deliteſcit, ignea verò in ſublime fertur, hinc fit vt eius diuidantur qualitates cum aqua aut uino perfunditur: operatur autem in obſtructionum affectibus igneis tantum facultatibus, terreis verò, vbi adſtrictione ſit opus: bilem primùm, dein pituitam ſine omni penitus noxa vacuat: datur autem omni tempore & ætate, adeò vt pueris vel etiam ætate tenellis, & prægnantibus facilè exhiberi poſſit: auget autem Rhabarbari vires caprinum ſerum, vel ſi maceretur intubi vel apij aut plantaginis

decocto

decocto: In cuius quidem vſu illud perpetuò obſeruandum eſt, vt ſpicæ nardi tantillum ipſi commiſceatur, addendumq́ue & ſemper erit vini albi odorati modicum, præſertimq́ue vbi ad obſtructiones reſerandas paratur: Synceri Rhabarbari expreſſio probè conuenit vbi abſterſione duntaxat, ac infarctus liberatione ſit opus; quòd ſi poſtquam hoc functum fuerit officio, viſcerum adſtrictione ac roboratione fuerit opus, ipſum quidem in puluerem contritum exhibendum erit; illud autem quod igne torreſcit vehementius ad hoc ipſum operatur; & quoniam ſanguinem clarificat obſtructioneſq́ue aperit, aquam intercutem, regium morbum, lienis craſſitiem, ac diuturnas febres mirificè ſanat; ſanguinem reijcientibus qualitate & ſubſtantiæ facultate prodeſt, datur etiam ab alto deuolutis, ruptis, & tam internè quàm externè fractis iuuamento eſt, præſertimq́ue ſi vino auſtero draghmæ pondere cōmiſceatur, addito ſinceræ mummiæ momento: Verum enimuerò cùm purgatoria præditum ſit facultate, videbitur fortaſſe alicui eius vſus ſuſpectus ante humorum peccantium præparationem; nihilo ſecius cùm deleteriæ facultatis ſit expers, omniq́ue prorſus noxa vacet, ac ſine labore & naturæ conatu tum bilem tum pituitam deijciat, citra vllam controuerſiam ſtatuendum eſt Rhabarbarum inter medicamenta facilè ſoluentia, quæ inchoantibus etiam morbis dantur, præcipuas obtinere partes. Et hæc de Rhabarbaro.

## *De Aloe.*

ALOE, qua paſſim officinæ vtuntur, ſuccus eſt plantæ, quam in plurimis Italiæ locis vireſcere conſpicimus, Romæ præſertim & Neapoli, vbi ſuper ædium feneſtris ac atrijs in fictilibus vaſis alitur ac fouetur; cuius meminit Dioſcorides lib. tertio cap. vige-

ſimo ſecundo: & Galenus libro ſexto ſimpl. medicam. optima autem eſt indica, cuius liquor eſt id, quod ad nos importatur medicamentum aloe cognominatum, ad plurimas res propter ſiccitatem mordicationis expertem vtile: Adſtringit quidem mediocriter, ſed vehementer eſt amara: ventrem ſubducit, & ex numero medicamentorum eſt, quæ excernendo ſtercori ſunt opportuna: Tertij ordinis exſiccandi facultate, calfaciendi autem primi intenſi, aut ſecundi pollere creditur: Vtile eſt ſtomacho medicamen, vt ſi quid aliud: ſinus glutinat: Vlcera ſanat, quæ ægrè ad cicatricem duci poſſunt, & maximè quæ in ano ſunt & pudendo: Repellit autem, ſimulque digerit cum hoc vt paulum extergat; ita vt ipſius facultatis mixturam particularia eius opera atteſtentur. Verùm memoria ſemper tenendum eſt, illotam aloem ad ventris ſubductionem aptiorem eſſe, multamque de medicamentaria vi deponere lotam, infeſtiſsima autem aloe eſt etiã lota his, qui citra vitiatos humores ex intemperie calida & ſicca affliguntur: Proximam ab his læſionem accipiunt, qui ſicca ſunt intemperie etiam cum frigiditate coniuncta: Hanc fortaſſe ob cauſam ſenibus medicamentum hoc incommodum eſſe autumarunt; & quoniam bilioſos detrahit humores, ſi ampliori pondere exhibeatur, à primis venis, non tamen à toto corpore, in numero commemoratorum medicamentorum facilè ſoluentium iure meritò erit, ideoque nulla prægreſſa etiam humorum præparatione tuto exhiberi poterit; craſſos enim humores ob purgatoriæ facultatis imbecillitatem trahere nequit. Ex hoc loco oritur quædam difficultas ex Æginetæ præceptis obiter & paucis diluenda; ſcribit enim lib. primo cap. quadrageſimotertio de ijs loquens, quibus ſecũda valetudine cõſtitutis tum aluũ emollire, tum lotium ciere pulcherrimè poſſumus Aloem trium cicerũ magnitudinem quantitatemq; æquantẽ à cœna dandam

eſſe; inferius autem lib. nimirum ſeptimo cap. quarto, ne à cibo purgantia exhibeantur medicamenta apertiſſimis verbis prohibuit: Cuius rei rationem reddens ſubdidit, ſi quidem cibum corrumpunt, vnde in citati capitis initio bilem inquit flauam optimè prolicit atque educit aloës drachma vna cum melicrato matutino tempore exhibita: Cui contradictioni Reſpondendum putamus, aloëm poſt cœnam exhibendam eſſe exigua admodum quantitate trium cicerum non magnitudinem, ſed pondus potius æquantem, vbi medici conſilium ſit fæces tantum educere, membraque tantum corroborare; dum verò non ipſas modò fæces, verum etiam humores euacuare in animo eſt, matutino ipſam tempore, & in maiori quantitate aſſumendam hortatur; Quòd autem purgantia medicamenta integra copia à cibo exhibere non liceat, octauo lib. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos. Galenus rationem aſſignat; quia (inquit) concoctioni ſunt impedimento. Atque de Aloe hactenus.

## De Sena.

SENA mauritano nomine dicta, cuius meminit Serapio ſuo De ſimpl. volumine, planta eſt, cuius ſiliquæ & folia exſiccata ex plaga orientali ad nos importantur: in Hætruria etiam, ac præſertim in Florentino agro paſſim ſeritur; cuius vires Actuarius, qui ſolus inter Græcos recentiores deſcripſit ſenam, citra noxam bilem & pituitam deijcere memoriæ mandauit, eamque magis præſtare voluit quæ ex Alexandria Aegypti, vel ex Syria affertur: Et quoniam deguſtatis ſenæ folijs aliquid adſtrictionis, nonnihil ſiccitatis atque etiam aliquid amaritudinis intelligitur, temperamentum ſenæ inde colligi poteſt calidum

nimirum, non inſigniter tamen, & ſiccum, proinde tantum abeſt vt ventriculum infirmet (niſi eatenus, quatenus purgando noxios in ventriculum prolicit humores) quin potius eum firmet ac roboret; licet nos non lateat Meſuem medicamentum hoc non nihil ventriculo obeſſe exiſtimaſſe: Quamobrem vt hæc tollatur noxa, & eius roboretur facultas, Zingiber addendum præcipit. Quòd autem ſenæ diluto epoto tormina inteſtina experiantur, id nunquam ex ſenæ facultate prouenire exiſtimat Mathiolus ſimul cum multis alijs, ſed (vt inquiunt) ex craſſis pituitoſiſque excrementis ab hoc pharmaco eò inpulſis, quæ ſua craſſitie inteſtinorum meatus adeò replent, vt in eis non paruam extenſionem faciant dum viam ad exitum quærunt: Quæ quidem ſententia mihi ſemper dubia viſa eſt, quòd multa alia medicamenta craſſioribus expurgandis humoribus opportuna ſine hac inſigni noxa deuorentur, vel eorum dilutum propinetur, vt quotidiana obſeruamus experientia: Quapropter non errabit quis, quantum ego puto, ſi ſenæ dilutũ ex eo inteſtinorum tormina excitare dixerit, quòd tardæ cum ſit operationis, & bilioſos pituitoſoſque humores ſimul deijciat, qui non eodem tempore ad exitum parantur, vellicationes quaſdam efficiat, flatuſque multos in inteſtinis excitet: Proinde minus audacter ſenæ dilutum pueris, mulieribus & ijs, quorum inteſtina ſunt imbecilliora præſcriberem, licet Mathiolus vir apprime eruditus mulieribus etiam prægnantibus, pueris & cuiuſcunque ætatis hominibus commodè dari poſſe aſſeruerit. Illud tamen memoria ſemper teneatur, dilutum magis quàm decoctum præſtare, quòd nulla ex parte exhalet; redditur autem medicamentum hoc in deijcienda aluo præſtantius atque valentius, ſi caſſiæ nigræ, aut mannæ, aut Rhabarbari, aut roſarum diluto ſiue ſyrupo roſ. ſolut. cõmiſceatur, aut ſi caprino ſero ſena maceretur. Sunt & qui vindemiarum

tempore

tempore ſenæ folia in muſtum conijciant, inde conficientes vinum, quòd alui deiectoriam vim obtinet ad multa vtile; eſt enim domeſticum valdè medicamentum, & ijs, quibus aluus adſtricta quàm maximè opportunum, quòd cum per inferna, vt Meſues teſtatur, bilem tum atram tum flauam, atque non bilem tantum vt Actuarius inquit, ſed etiam pituitam educat, quòd ſanè experientia comprobatur; cerebrum mundat, ſenſus clarificat; cor, lienem, iecur, pulmonem expurgat, confertque omnibus eorum incommodis; viſcerum obſtructiones aperit, atque, quòd ſatis eſt, iuuentutem augere, ſeniumque retardare, & animi hilaritatem afferre experientia comprobatur: verùm quoniam à longinquis & labore aliquo trahit, non æque libenter, atque cætera ſuperius commemorata ſoluentia medicamenta inchoantibus morbis ſenæ dilutum concedere ſoleo. Quoniam verò, vt dictũ quidem iam antea eſt ab initio & nunc etiam vtile erit commeminiſſe, cum minimè bonum artificem eſſe poſſe, qui ſua ignorauerit inſtrumenta; nam haud conueniet, fabrum lignarium aut ſerram aut aſciam ignorare, proinde nequaquam reprehendendus mihi ipſi videor, ſi de medicamentorum ſoluentium differentia perinde ac de præcipuis medicinæ inſtrumentis, latius fortaſſe, quàm par eſſe videbatur, tractando digreſſus fuerim: Quæ omnia iuxta propoſitam iam ſeriem in breuem ſummam, hunc in modum redigenda atque repetenda.

*Soluentium medicamentorum omnium breuis Diuiſio.*

EORVM igitur, quæ ventrem quomodocunque ſiue ſurſum, ſiue deorſum verſus euacuant, alia id quadam materiæ conditione, alia formæ, totiuſque ſubſtantiæ proprietate, alia vtriſque

præſtant

præſtant : Solius materiæ vi implendo quidem tum leniendo tum laxando aluum ſubducunt, oleum, & butirum malua, althea, Mercurialis viola, pruna, pſylium, & eiuſmodi plurima de quibus abunde ſuperius, quæ, quoniam totius ſubſtantiæ familiaritate prorſus vacant, in purgantium numero nullatenus recenſeri ſolent, quemadmodum neq; hydrelæum, quòd tum vomitiones prouocat; cuius etiã farinæ ſunt & cotonea mala, quæ comprimendo obuias partes ſic coarctant & adſtringunt, vt humoris in ſe reconditi non parum etuctent & exprimant. Secundi verò generis medicamenta ventrẽ exinanientia, quæ peculiarẽ quendam humorem, peculiari, & quodam naturali inſtinctu trahunt, alia vomitione, alia deiectione purgant, & vomitione quidem, alia moleſtè id præſtant, vt Helleborus, alia blandè vt atriplicis ſemen, & rafanus, alia mediocriter vt aſarum; horum verò, quæ aluum deijciunt, alia humores tenues ſeroſoſque, alia bilem flauam, alia pituitam, alia melancholiam detrahunt; at in vno quoque horum genere, quædam imbecillius, quædam validius id præſtant; de quibus iam antea abundè definitum eſt: Neque ſolum ex viribus & energia, verum etiam & ex agendi ratione, horum differentiæ exiſtunt, nam licet, exempli gratia, Rhabarbari ea ſit portio, quæ pares, atque exigua ſcamonij portio vires obtineat, non tamen ſimiliter & ratione pari aget; vt perbelle Fernelius adnotauit; neque poteſt Rhabarbarum quantumuis auctum ſcamonij rationem & naturam proximè æmulari, neque contra ſcamonium quantumuis imminutum Rhabarbari conditionem imitari; ineſt enim præter communem, & alia ſua cuique peculiaris proprietas, quam in alijs haud quaquam reperies; quam quidem ex veterum monimentis, quotidianæ experientiæ reſpondentibus noſſe, aut vſu inueſtigare decet. Rurſus quæ in vno quoque horum

genere

genere imbecillioris ſunt facultatis è proximis ſedibus expurgant, ex ventriculo, meſaraicis, inteſtinis, iecore, & ex liene, validiora è diſtantioribus magna vi proliciunt & extorquent. Quæ primis morborum diebus, quod propoſitum eſt demonſtrare, exhiberi non debent, niſi vel peccantis humoris immodica copia, ſiue turgentia, aut venenata qualitas, vel motus, vel locus vrgeant, de quibus iam iam fuſius tradendũ. Quod ad tertium genus attinet, Mirobalanos adſtrictoria duntaxat vi purgare, vt ſentit Meſues, ego vna cum Fernelio nunquam affirmarem; etenim ſi peculiari quodam inſtinctu hunc potius, quàm illum humorem prolectent, ea vacuandi varietas non ab adſtringente materia, quæ vna omnium eſt communis, ſed à cuiuſque formæ proprietate proficiſcitur; quanquam, vt rectè Fernelius inquit, minime dubitandum ſit, eorum materiam obuios humores, quos attigerint, adſtrictione ſua depellere; Quadam igitur formæ proprietate, qua præditæ hæ ſunt, & adſtringenti etiã materia quadam, ventrem deiciunt. Hæ ſummæ ſunt purgantium medicamentorum vires ac differentiæ. Iam verò de morborum temporibus, atque de ſoluentibus purgantibuſque medicamentis abunde ſatis dictum eſt, quã tùm ſpectare videtur ad explicandum vtrunque dubiæ concluſionis terminum, quæ definienda proponitur; num videlicet inter morborum initia purganti medicamento vtendum ſit: Nunc autem opportunum fuerit, Hippocraticam vulgatam illam ſententiam, prima Aphoriſmorum ſectione vigeſimo Aphoriſmo deſcriptam definire. Cuius quidem integra germanaq; ad Hippocratis mentem interpretatio, maximum habet momentum ad propoſiti quæſiti veritatem indagandam: hic enim, vt ante diximus, vtilis eſt modus dirimendi lites omnes, quæ ad artem ſpectant.

## *Aphoriſmi vigeſimiprimi ſectionis primæ Hippocratis ſententia explicatur.*

DE vſu medicamenti expurgantis diſputant recentiores, ſumpta occaſione ab hac Hippocratis ſententia; in qua quidem explicanda nequaquam tantum mihi immorandum videtur, quantum Neotericis omnibus alijs interpretibus viſum eſt. Hippocrates igitur hic ſic eſt audiendus, nunquam medicamento expurganti vtendum eſſe, ſuccorum expurgandorum concoctione non dum prægreſſa, niſi fortè hi turgeant, hoc eſt hinc inde de parte in partem agantur, nullaque in parte determinata firmiter hæreant; Cuius quidem ſententiæ cauſas cum pluribus in locis, tum præſertim quarto De ratione victus in acutis context. quadrageſimoquarto reddidit, vbi habet, ventrem ab initio clyſtere duces, medicamenta autem purgantia non adhibebis; etenim ſi ventrem moueris, vrina non maturabitur, febriſque citra ſudorem in longum protrahetur; Rurſus eodem lib. tex. vigeſimo ſecondo hæc memoriæ prodidit, quicunq;ea, quæ in parte inflamata ſunt, morborum inter initia, medicamento ſoluere conantur, ij non ſolum ab intenta inflammataque parte nihil adimunt, cum non cedat affectio cruda, verum & quæ morbo aduerſa & ſana ſunt abſumunt, contabefaciuntque, corporeque imbecilliore reddito, morbus ſuperior euadit, qui, vbi corpus vicerit, remedium non habet: Præter hæc incommoda ab Hippocrate eo loci commemorata peractæ purgationis ante ſuccorum moleſtantium concoctionem, multa alia contingunt; tunc enim dolores fiunt in ventre, vellicationes, tormina, & omnino pro diuerſitate fortunæ, diuerſa incommoda; mouetur enim potius materia, quàm abdicatur, motus autem

autem coctioni eſt impedimento; coctio enim fit per quietem, vt omnibus in confeſſo eſt: virtutis etiam robur atque ipſi præſertim ſpiritus per importunas purgationes diſſoluuntur; vnde haud quaquam mirari oportet ſi quis interdum importunè purgatus in paralyſim inciderit, vt mihi medicinam facienti multis ab hinc annis in muliere quadam obſeruare obtigit; quandoquidem ſi fortè purgantis medicamẽti intempeſtiuè ſumpti vi cauſa morbifica ad ſpinalem detrudatur medullam, quæ debilis eſt, paralyſis facilè ſequi poteſt, quòd vbi materia ad ſtomachum feratur, à qua ſuſcitati praui halitus cor feriant, ſyncopem ſæpe irreparabilem faciat; quin imò ſi per clyſterem etiam validum catharticum ante concoctionem inijciatur, hæc & alia innumera mala ſuboriri poſſunt. Igitur ante omnem purgationem duo obſeruanda ſunt; prius vt venter molliatur, deinceps vt humor coquatur: illud autem è memoria non excidat, humores turgentes ab hoc ſermone excipiendos, inſtabiles nempe, nuſquam conſiſtentes, ſed nunc huc nunc illuc incumbentes, vt antea dictum fuit: Quorum quidem ſigna hæc ferè ſunt, quòd laborantes nunc hic, nunc illic grauitatem, punctionem, & aliam quandam anxietatem ſeſe ſentire aiũt: Quare præceteris humoribus id potius ſanguini, maximè autem bili contingere videtur; hæc enim maximè ſubtilis mobilis eſt & ſequax; contra verò ignaua melancholia & pituita nec facilè locum, quem ſemel occupauit permutat, atque ad alium locum diſcedit: Quapropter Neotericorum ſententiæ prorſus adhærere non poſſum, quippe qui vtrunque hunc humorem inter turgentes poſuerunt; nam ſi ita ſit, cur ergo Hippocrates quòd plurima non turgent dixit? Quinimmò quod addunt, hoſce humores quantitate turgere, aliqua eget deffinitione; humoris enim peccantis quantitas efficere nequit, vt locum mutet, quinimò è contrario, quo ipſe humor eſt co-

pioſior, eo ſegnior; id quidem quantitas præſtare poteſt, vt locum cui inſidet diſtendat, vt Hieremias Triuerius do ćte admodum adnotauit; ſi quis autem quærat, cur turgentem, licet crudam, materiam purgare præcipiamur; duplicem huius cauſam aſſignabimus, prima eſt quia periculum eſt in mora, ne forte ad aliquod viſcus præcipuum præcipitata momentaneam laboranti mortem afferat; altera verò ex materiæ peccantis conditione petenda eſt, quæ non admodum concoctionem aut deſiderat aut expectat, cùm ſubtilis admodum ſit ac mobilis, adeò vt duplex ad euacuationem huius materiæ potius, quàm alterius compendium Medicus obtineat, humorum mobilitatem, & naturæ impetum: Sic & Hippocrates bilioſam retrahit in principio pleuritidis purganti exhibito medicamento; ſic etiam materiam, quæ ad caput impetu fertur, à qua futuræ apoplexiæ periculum imminet, clyſtere reuocat. Sed hac de re plura fortaſſe iuxta propoſitam ſeriem, quàm ad compendium ſpectare videatur, adduximus. Duo tamen adhuc ſuperſunt minimè reticenda, primum. Medicationem aut purgationem in minoratiuam (vt vocant) atque eradicatiuam diſtinguendam, Quarum prima ſcilicet eradicatiua purgatio hic ab Hippocrate ante concoctionem reprobatur; ſecunda autē ſectione Aphoriſſimorum vigeſimonono minoratiuam conſulit, licet me non lateat, hanc diſtinctionem à pluribus improbari, quorum rationes capite ſubſequenti auctoritate grauiſſimorum virorum, ratione & rerum euidentia nihil aduerſus hanc noſtram ſententiam firmiter concludere, luce clarius demonſtrabimus: Alterum quòd Hyppocrates hic de ſuccorum expurgatione intelligit, quorum coctio expectari poteſt; ſuccorum enim ſero ſimilium nulla eſt concoctio expectanda, ſed & ſuccorum, qui ſunt aut in primis venis aut vijs ductum, vt ventriculo, & inteſtinis expurgationem aggredi licet concoctione

ne

ne non expectata, Quoniam ob loci comoditatem, vel etiam cruda haud magno negotio educi poſſunt, qui quidem ſucci generoſo medicamento opus non habent, ſed aut expurgante primi ordinis, aut leniente ſolum; ſuccorum etiam, qui in penitioribus venis ſunt non turgentes reuulſionis gratia licet nonnunquam expurgationem peragere in morborum principijs, quòd ab Hippocrate veluti oraculo quodam quarto de ratione victus in morbis acutis tex. ſexageſimoquarto explicatiſſimis verbis accepimus. Cùm igitur quæ præmittenda erant ſatis ſuperque explicata fuerint, vt eò redeamus, vnde ſumus digreſſi, quid de purganti medicamento, morbo adhuc initiante, exhibendo ſentiendum putem, quòd primum præcipuúmque noſtrum eſt inſtitutum, paucis deffiniendum.

## *Quando & quomodo in morborum principijs purgandum ſit.*

DISCORDIA quædam non parua inter Medicos expoſitores orta eſt. Vtrum videlicet inchoantibus morbis purganti interdum medicamento vtendum ſit, Qua quidem in re nonnulli, qui veterem medicinam ſe reducere gloriantur grauiter (vt demonſtrabimus) aberrant. Ac poterat talis ac tantus hactenus error diſſimulari, niſi ad plurimorũ vitã ac pernitiẽ ſpectaret. Nunc ergo quod iã anteà pollicitus ſum ſubijciã atq; breui methodo repetã.

Conſueuit Hippocrates dicere, Medicari, pro vti medicamẽto purgante, quod catharticum appellant, quod quidẽ non niſi concocto peccante humore concedi debet, iuxtã Hippocratis vulgatam ſententiam Aphoriſmorum primo Aphoriſmo vigeſimoſecundo traditam: cum nihil in rebus humanis perpetuum ſit, cogimur interdum vel

etiam

etiam crudum humorem, nulla præhabita eiuſdem præparatione, medicari ſiue purgare, & hoc quidem quatuor præſertim rationibus, primum quoties materia turgeat ob rationes paulò ante adductas in explicāda Hippocratis aphoriſtica ſententia nunc adducta. Secunda purgandi non expectata coctione ratio ex humoris motu petenda eſt reuulſionis gratia, quod Hippocrates ipſe quarto De ratione victus in morbis acutis ſexageſimoquarto faciundum docet, ſic & biliosam materiam Hippocrates in principio pleuritidis retrahit, ſic vt anteà diximus, materiam, quæ ad caput impetu fertur imminentis apoplexiæ gratia clyſtere ab Hippocrate reuocatur. Sed obijciet quis, non nè eiuſdem eſt fortunæ fluens materia motuque agitata, atque turgens? In hoc quam maximè multi, eorum pace ſit dictum, aberrant; non enim materia turgere dicitur, quæ iam à venis ad locum aliquem deſtinatum mouetur & rapitur, vt quæ in pleuritide ex Hippocrate ad Hypocondria ferebatur, ſed quæ ſubinde modò hunc modò illum locum permutet. Tertium dandi purgans medicamentum incipiente iam morbo conſilium ſiue argumentum à venenato peſtilentique humore deſumitur; At de venenato humore primum nimis importunè hic ſermonem haberi obijciet aliquis, quòd venenatos humores non quidem purgatione, ſed alexipharmacis ſuperare ſtudeamus, ita vt nulla in eo cruditas accuſari, aut concoctio expectari debeat: Ob eandem etiam cauſam hic fruſtra de humore peſtilenti mentionem me feciſſe accuſare quis poterit, etenim hic quoque amuletis quibuſdam ſiue alexifarmaco, aut certè potius ſanguinis miſſione, aut cucurbitulis, aut ſimilibus attrahentibus præſidijs ſedi affectæ applicitis, quàm purgatione indiget: Quibus ac conſimilibus obiectionibus ab ijs adductis, qui ſimiles mihi videntur ijs, qui plurima ingerunt, quàm concoquunt; nam & ipſi plura mihi videtur

legiſſe

legiſſe quàm penitus intellexiſſe, vt appoſitè ſatisfaciamus, altius ſummendum eſt exordium. Igitur in curatione morborum a venenato aut peſtilenti humore pendentium triplex eſt intentio; vna ad ſeminaria, quibus contagio inhæret, altera ad materiam periclitantem, tertia ad materiam periclitatam, ſeu potius corruptam.

### *Qua Methodo venenati peſtilenteſque humores, euinci poſſint.*

SEMINARIA contagionem habentia vel extingui, vel educi, vel frangi, vel per antipathias repelli debent, ſed raró admodum accidit, vt innoxiè extingui poſſint; quoniam nec vrentibus, nec frigidis licet tutò vti; ſiquidem periculoſum eſt, præſertim febrienti, quòd ad peſtilentes ſpectat humores, vrentia introrſum ſumere, hæc autem foris admota ſeminaria non attingunt, ſed cum noxa exagitant; Frigidæ quoque potio non omnibus ex vſu eſt: Educuntur autem materiæ, quibus inhærent, vacuatione, ſiue per venæ ſectionem, ſiue placido pharmaco; franguntur autem ſiccis ſed calidis vbi analoga eſt contagio ad frigidos & craſſos humores, quibus ſeminaria hæc inhæreſcunt, præcipuè ſi obſtructiones (vt in febribus putridis) non paucæ ſint, vel franguntur ſiccis; & frigidis, ſtipticiſque ſi analogia fuerit ad ſubtiliores & acriores ſuccos, vel ad ſpiritus ipſos, quod ſcitè admodum adnotauit Montuus Mirebelli Dominus Chriſtianiſſimiq; Regis Galliarum conſiliarius: Poſtremò per antipathias repelluntur, eorum nempè vſu quæ corpus cõfortando iuuant. Venenata ergo aura, licet per ſe amuletis quibuſdam potius, quàm vacuatione aliqua pharmaco facta, cui non eſt, vt alij humores, obſequens, euincatur, quatenus tamen huius ſeminaria huic vel illi humori iunguntur ad horum profectò eductio-

nem ipſa quoque ſimul euocatur: Præterea, ſi fortè recens aſſumptum fuerit venenum, id ſubito vomitu, vel ventris deiectione expelli conuenit, quod etiam de peſtilenti halitu intelligendum eſt; Igitur die primo, & antè cõcoctionem vacuatio conuenit per ſanguinis miſſionem, ſi materia vincens fuerit ſanguis, vt dicit Princeps Mauritanus, aut purgatione, ſi alij humores peccauerint: Idem ſentit Zoar & Manardus; Accedit huc quòd in peſtiferis criſes vt plurimum tendunt ad mortem, non igitur in his expectanda coctio, quamobrem apud Galenum quinto Methodi Medendi, quot quot ex immani illa peſtilentia incolumes euaſerunt multis per vomitum, omnibus per ventrem corpus antea fuiſſe expurgatũ, atque exſiccatum legimus: ex quibus liquidò conſtat, quòd non ſolum ſanguinis miſſio, ſed etiam purgatio ex vſu eſt: At quoniam eorum medicamentorum hic mentio habita eſt, quæ per antipathias in venenatos peſtilenteſque humores operantur, eorumque vim infringere dicuntur, de his obiter quidem, verum vtiliter & compendioſè tradendnm.

### *Medicamentorum à totius ſubſtantiæ proprietete operantium differentiæ.*

AB occulta totius ſubſtãtiæ proprietate duæ medicamentorum differentiæ prodeunt, alia enim euacuantia, alia duntaxat alterantia: Primi generis ſunt, quæ ratione formæ ſpecificæ, atque ſympathia quadam peculiare ſibi quiddam proliciunt, expurgantia medicamenta, de quibus ſuperius ſatis ſuperque dictum eſt: Horum rurſus duplex ſuborta eſt differentia, alia etenim è corpore vniuerſo, alia ex vna quapiam particula trahunt, quæ è toto corpo

re vel attractum humorem vomitione reddunt, vt aſarum & veratrum album, vel deiectione, vt Rhabarbarum & Scamonium: Quæ ex vna duntaxat parte familiarem ſibi proliciunt humorem, aut ex cerebro per os atque palatum, vt apophlegmatiſmi, aut per nares, vt errhina, aut ex vtero per ceruicem ſuperuacuum ducũt humorem, vt Ariſtolochia: Cæterum quæ vel vrinam cient, vt petroſelinum, vel menſtrua purgamenta, vt artemeſia, vel excreationes promouent, vt hyſſopus; quoniam non tractione, ſed vel deterſione vel extenuatione atque penetratione recrementa propulſant, inter euacuantia potius, quàm verè purgantia, vt mea fert opinio, recenſenda ſunt, quòd non ſimilitudine trahant: At verò alterantia tantum alexiteria & alexifarmaca, quæ venenum aut deleterium medicamentum attrahunt ſimilitudineque amolliuntur, vt ſchiſtum lac, Agaricum, diſſecti pulli gallinacei calentes percuſſæ parti aplicati, ſcorpius ipſæ proprij inflicti veneni alexeterium inter euacuantia Medicamenta iurè commemorari poſſunt, nec tamen propriè cathartica dici debent. Hæ igitur ſunt differentiæ medicamentorum, quæ totius ſubſtantiæ proprietate euacuant, licet quæ primis aut ſecundis facultatibus agunt, alterantia propriè nuncupentur; quanquam etiam multa tertijs facultatibus, ſeù tota ſubſtantia alterent, quæ inſtinctu quodam, ſiue vi quadam abdita totam rei ſubſtantiam immutant, demoliuntur, ac prorſus corrumpunt; Hæc autem duplicis ſunt generis, alia ſunt deleteria, alia antidota & antiparmaca, priora dicuntur propriè venena, quorum aliqua etiam breui viuos interimunt manifeſta quidem, ſed violenta & excellenti qualitate, vt euphorbium vrendo, & opium ſtupefaciendo, quibus & fortè etiam iuncta eſt quædam abdita qualitas; Quæ verò qualitate occulta id præſtant ſanè non illa veneni appellatione intelliguntur; Hæc enim totius ſubſtantiæ diſſi-

dio nobis infenſa noxiaq́ue ſunt, vt venenatarum beſtiarum, ceu Scorpij, Falangij, & Rabidi canis ictus, Pityocampæ, Hydrargyrios, Dryopteris, & eius generis alia; quandoquidẽ cum ſaliua hæ beſtiæ virus ictu eiaculãtur, quod ſenſim intrò ſubiens ac prorepens in principes tandem pates irruit, earumq́ue vires ac ſubſtantiam demolitur. Antidota verò & Antipharmaca deleterijs planè cõtraria ſunt, quæ totius ſubſtantiæ diſſidio ſic immutant & obtundunt, vt ne minimum queant nos offendere; Horum alia hauſtum vel iniectum venennm aut etiam deleterium medicamentum totius ſubſtantiæ contrarietate frangunt obtunduntq́ue, vt citrij ſemen; Ad hoc genus pertinent & quæcumque peſtilentes alioſq́ue epidemios morbos profligant aut arcent, vt Mitridatium & Theriaca; Alia verò virulentarum beſtiarum ictibus medentur, vt Alyſſum, & pimpinella rabidi canis, quorum omnium vberiorem ſi quis tractationem deſideret Fernelium diligenter legat lib. quarto Methodi medendi cap. quinto. Verum enim verò obſcuras non nullas dictiones in hac medicamentorum differẽtia interpoſitas iunioribus medicinæ ſtudioſis hunc noſtrum tractatum legentibus dubitationem fortè parientes explicare nunc eſt conſilium.

## *Quid ſit ſchiſtum lac.*

EST autem ſchiſton lac, in quo pars caſeoſa quodam cocturæ genere à ſero ſeparata, cuius meminit Plinius lib. decimooctauo cap. nono, id fit hoc modo, fictili nouo lac maximè caprinum feruet, ramiſq́ue ficulneis recentibus miſcetur, additis totidem cyathis mulſi quot ſunt hæminæ lactis, deinde igne demptum refrigeratione diuiditur, ſerumq́ue à lacte hunc in modum ſeiungitur, hoc autem

in

in genere alterantium, quæ alexeteria dicuntur, reponi poteſt.

## *Quid Pityocampæ.*

PITYOCAMPAE vermes à pinu arbore naſcentes morſu venenato nõ diſſimili à bupreſtis morſu nuncupantur, Plinius lib. vigeſimotertio cap. ſecundo. Hæ autem pinorum erucæ numeroſæ ſanè habentur in Tridentinis montibus, quòd inibi pinorum perpetuò vireant ſiluæ, quarum meminit Dioſcorides libro ſecundo cap. quinquageſimoquinto, quæ quidem venenatæ beſtiæ malignam quandam auram, vel ſaliuam morſu infligunt, quæ ad deleteria à totius ſubſtantiæ diſſidio operantia ſpectant; in quorum numero Dripoteris etiam recenſetur.

## *Quid Dryopteridis nomine intelligendum.*

NON aliud Dryopteris Græcis ſignificat, quàm filicem in quercubus naſcentem, quòd filix hæc in annoſis muſcoſiſq; quercubus proueniat, naſcitur etiam humenti ſolo, cuius meminit Dioſcorides lib. quarto cap. centeſimo octuageſimo primo, & Galenus lib. ſexto ſimplicium medicamentorum, facultatem ſepticam, hoc eſt corrumpentem ac putrefacientem obtinet, proinde pilis etiam glabram cutim efficit.

## *Quid Alyſſon ſit.*

INTER antydota, quæ venenatarum beſtiarum ictibus medentur, Alyſſon recenſetur, de quo varia eſt ſententia; Dioſcoridi enim Alyſſon, libro tertio cap. octuageſimonono, frutex eſt caule tantum & folijs minoribus a rubia diſtans, vt Plinius quoque tradit libro vigeſimoquarto capite vndecimo, nomen habet ab eo quòd ſolo conſpectu rabiem curare credatur; quidam eandem putant eſſe cum ea, quam hodie rubiam minorem vocamus; alij eam eſſe contendunt, quæ canabis agreſtis dicitur. Alyſſi vires Galenus, à quo diſcedendum numquam putauerim libro ſexto ſimpl. medicamentorum tradidit his verbis. Nuncupata eſt hæc herba alyſſon, quòd iuuet mirificè à cane rabido demorſos, ſed & rabienti quoque data ſæpe in totum ſanauit; atque hoc ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine efficit, dictumque prius eſt, talem facultatem ex ſola percipi experientia, & planè nulla conſtare methodo, quòd ſi quis ad multa experiatur, cognoſcet facultatem mediocriter habere ſiccificam & digerentem cum hoc vt abſterſorium etiam nonnihil obtineat, hac ratione & viriliginem, & maculas faciei à ſole prognatas purgat.

Alyſſos autem (ne quis nominum ſimilitudine decipiatur) Arcadiæ fons eſt, cuius aqua canis rabidi morſui & ipſa medetur. Iterum igitur ad inſtitutum reuerſi dicamus, Venenatos humores, vel etiam peſtilentes, tum intus ex praua victus ratione accumulatos, tum aliunde tales effectos, nulla expectata coctione, ſtatim initiante morbo eſſe detrahendos. Ac de tertia purgandorum crudorum humorum lege & ratione ſatis. Iam tempeſtiuum

fuerit

fuerit diligenter expendere, num humores crudi at multi præ nimia copia naturam obruentes cathartico ſint im minuendi, quam humorum non integram purgationem minorationem recentiores appellare cõſueuerunt, quod ad quartam purgandorum humorum morbis initiantibus fortunam attinet.

*Nunquid purgare aliquando liceat citra coctionem & turgentiam, nec motu, nec venenata materia cogente.*

QVONIAM verò quas debeamus propoſitæ queſtioni idoneas ſumptiones conquirere abunde iam antea in expendenda Hippocratis Aphoriſmo vigeſimoſecundo primæ ſectionis ſententia explicatum fuit: Idcirco in præſentia ſatis erit ſi illud addidero, Antiquorum dogmata vt non ſunt ſpernenda, ita nec vſque adeò rigorosè obſeruanda; ſuas enim vnumquodque limitationes habere certum eſt: Præſentis ergo diſſertationis tale erit principium.

In principijs morborum interdum, nulla prægreſſa purgantis humoris coctione, vel etiam citra turgentiam purgandum eſſe, rationibus validiſſimis, grauiſſimorum virorum auctoritatibus, atque euidentiſſimis experimentis luce clarius demonſtrare onus mihi in præſenti incumbit: Mox obiectiones, quæ noſtram hanc ſententiam infirmare videntur definire. Hæc igitur prima erit propoſitæ ſententiæ ratio. In quocunque morbo non turgente humore conſultius eſſe concoctionem expectare, nemo eſt qui neget, ſi modò per morbi magnitudinem, atque humoris abundantiam, atque facultatem ipſam liceat: cæterum vbi coniectura aſſequamur naturam ad

noxij

noxij humoris concoctionis horam ſufficere non poſſe; quòd multitudine præmatur obruaturque, tunc purgationem moliri in principio ante coctionem ſine etiam turgentia neceſſum erit; Quam expurgationem Mauritani cum ſuo Principe minoratiuam, alteram eradicatiuam appellare conſueuerunt, quæ quidem ratio prima ex eo pendet Axiomate, quod habet. Quibus alia non eſt ſalutis via, & ea quæ eſt vnica, dubia tamen vtique eligenda, quòd ſatius ſit aliquid bonum cum ſpe vel periclitari, quàm ſine ſpe certò perire, quod conſilium fuit & Galeni & Celſi ex Thucydidis ſententia. Satius eſt, inquit, anceps auxilium experiri, quàm nullum: Altera ratio, Natura non nunquam humorum copia obruta ex duobus malis minori intenta citra coctionem & turgentiam cum ſucceſſu mouet & expurgat, igitur aſſertio vera; Antecedens quotidiana pateſcit experientia, conſequentia probatur, quia oportet Medicum naturam rectè operantem imitari.

His accedunt auctoritates; etenim Princeps mauritanus libro primo fen quarta capite tertio vna cum vniuerſa ferè Mauritanorum ſchola eiuſdem eſt ſententiæ. Galenus etiam cùm pluribus in locis, tum præſertim quarto De ratione victus in acutis Com. ſeptuageſimoſexto inquit. Prima interdum die & ſecunda & quarta & interdum quinta Medicamenta dedimus, Quòd autem de morbo coquendo intelligat eo loci Galeuus ex his, quæ ab Hyppocrate dicuntur eodem in libro ſexageſimoquarto textu apertè colligitur. Adhuc Hyppocrates ipſe eodem loco quarto De ratione victus in Acutis ſcriptum reliquit. Hos ſi ab initio purgare volueris, id ante diem quintum facito, vbi venter murmurauerit. Sed quid amplius? Idem Galenus vna cum Hippocrate Aphoriſmorum ſecundo Aphoriſmo vigeſimonono, Purgationem inter morborum initia moliendam interdum eſſe,

apertiſſi-

apertiſſimis verbis demonſtrarunt. Nec verò hic locum habere videtur ea ſolutio, qua paſſim contrariæ ſententiæ aſſertores vtuntur, id ſcilicet dictum eſſe cum materia turget; nam cum turget materia non eſt expectanda illius concoctio; at quòd hic loquatur de morbo, in quo materiæ concoctionem expectare liceat, palã faciunt Galeno in comentario verba, Quo minorem, inquit, iã factã materiam facilius poſſit natura coquere. Neque valet quòd adducunt, Hippocratem eo loci loquutum fuiſſe aut de venæ ſectione, aut de ventris lenitione clyſteriorum vſu; quandoquidem præſidia hæc omni ferè morbi tempore vſurpari poſſunt; De clyſteriorum vſu nulla extat difficultas; quo ad ſanguinis miſſionem attinet Galeno & omnibus in confeſſo eſt, quòd in ſecanda vena dierum numerus non ſit attendendus. Præterea ſanguis coctionem expectare non videtur, conſtat autem Hippocratem in citato Aphoriſmo, Inchoantibus morbis ſi quid tibi videtur mouendum moue, de eorum humorum detractione loquutum fuiſſe, qui coctionem deſiderant, vt Galeni verba apertiſſimè declarant, quando habet, Quo reliquum facilius concoqui poſſit: ſunt autem Galeni verba hæc, ſi quid videtur mouendum moue, hoc eſt maximè quidem venæ ſectione, nonnunquam verò & purgatione, quorum neutrum oportet in vigoribus adhibere, vt enim in libro de criſibus manifeſtauimus, coctiones morborum tunc maximè fiunt; vt igitur hæ citius eueniant, melius eſt in principijs euacuare, quo minorem iam factam materiam facilius natura concoquere poſſit. Non videtur autem hæc controuerſia tantũ Barbaris peperiſſe difficultatem, ſed & Græcis, quippe Oribaſius ipſæ poſt otioſas quaſdam ratiocinationes hãc præſentem ſententiam duntaxat ad morbos acutos contrahit. Hanc noſtram aſſertionem veram eſſe quotidiana experientia oſtendit; obſeruant enim in dies qui medicinam faciunt laborantes

tes febre quotidiana purgantis medicamenti à principio vſu multum iuuari imminuta redundantium humorum copia, vt & in alijs conſimilibus morbis. Sed iam reliquum eſt, vt argumentis contrariæ aſſertionis breuiter occurramus, finemq́ue huic primæ tractationi imponamus.

## *Aduerſæ ſectæ rationes.*

NOnnulli ſunt, qui contendant nunquam medicamẽto purganti vtendum eſſe ante concoctionem extra turgentiam; quoniam inquiunt, Hippocratis ſententiam adductam primo Aphoriſmorum vigeſimoſecundo vniuerſalem omnino aſſertionem eſſe, qua præcepit non mouendum cruda, & ſi quæ alia foret expurgandi occaſio, vt turgentiam excipit, ita & videtur illã excepturus. Præterea tam multis in locis, tam diuerſis, tam conſtanter, vt Valleſius notat, hoc idem ab Hippocrate & Galeno ſcriptum eſt, nullius alterius expurgandi temporis facta mentione, vt hinc haud dubiè conſtare videatur, hãc fuiſſe illorum ſententiam: Propterea vigeſimoquarto Aphoriſmo primæ particulæ, in acutis paſſionibus raró & in principijs Pharmacis vti licere Galenus in commento aſſeruit. In longis morbis, inquit, ſemper oportet coctionem expectare, in acutis verò cum turgent, & in principijs poſſumus medicamentis purgantibus vti. Quarto de ratione victus in acutis Coment. quadrageſimo tertio. Galenus hunc in modum ſcribit, corpora expurgare cauendum eſt omnino, apparente in ſuccis cruditate. Libello etiam Quos & quando purgare oportet idem docet. Sunt præterea innumera alia loca, In quibus grauiſſimi auctores hanc eandemq́ue ſententiam litteris mandarunt. Addunt prærerea, renitente natura euacuationi non poteſt hæc fæliciter ſuccedere,

At

At cum humores non ſunt cocti, pertinaciter adhereſcunt, retinenturque; quare natura antè coctionem noxios retinendo humores trahenti pharmaco vehementer renititur; Quamobrem neceſſe eſt, aiunt, vt in hac pugna moleſtiſſima emergant ſymptomata illis ſimilia, quæ fiunt propinato pharmaco ſano homini, nempe pharmaco familiarem ſibi humorem prolicere nequeunte, illic quia non eſt, hic quia retinetur à natura, cum non adhuc præparatus ſit, carnes ſanæ colliquantur; Vnde tormina, mordicationes, vertigines, & quod eſt multo deterius, conuulſiones vel contingunt vel ſaltem plus boni ſucci; quoniam hic coctus eſt, quàm mali, qui crudus eſt & non cedit, extrahetur, cum vero ſuccus eſt coctus, aut ſi incoctus ſit non retinetur, quod ex turgentia cognoſcimus; turgentes enim humores, vt antea dictum eſt, huc illucque feruntur, natura adminiculatur expulſioni; etenim ſuccum concoctum non amplius natura emendare debet; quare à concoctione deſiſtens ad expulſionem conuertitur; turgentem autem materiam, quia non poteſt ferre illius acrimoniam aut multitudinẽ, expellit; ob id rectè in his expurgatio cedit, in alijs nequaquã.

Rurſum medicamentum purgans in principio deuoratum, cruda exiſtente materia, morbum vtique prorogabit; ergò nequaquam concedendum: antecedens probatur Galeni & Hippocratis teſtimonio quarto De ratione victus in acutis quadrageſimoquarto, vbi habent Purgationes concoctionibus aduerſari; quia coctiones quiete & moderato egent calore, purgantia autem medicamenta tum immodice calida ſunt, tum etiam vehementer mouent. Quibus & conſimilibus otioſis ratiocinationibus demonſtrare contendunt, nunquam preſcribendum eſſe purgans medicamentum, niſi cocto vel turgente humore. Qui hunc in modum arguunt, magis pro ſecta, quàm pro patria pugnare mihi videntur, quod qui-

dem in naturali Philoſophia diſputandi gratia ferendum erat; ſed in re adeò periculoſa, vbi, vt aliàs dicere ſolet Galenus, de humano luditur corio, vereor ne cum veritate Deum offendant: ſed ipſi viderint.

## *In oppoſitam ſententiam adducta argumenta ſoluuntur.*

OBIECTIS rationibus nec parum quidem vrgentibus, quæ noſtram hanc aſſertionem infirmare videntur, haud magnum negotium erit reſpondere. Interim autem non pigebit, quod iam antea oſtenſum eſt, nunc in memoriam reuocare. Non eſt dubium, quin hæc controuerſia maximorum ferè errorum, qui in re medica contigerunt cauſa fuit: Neoterici tamen, vt contrarias aſſertiones componerent, ſtatim diſtinctiones quaſdam nec inutiles quidem excogitarunt, atque deinceps ita aiunt purgationem, vt iam antea diximus, in minoratiuam, vt vocant, quæ cathartico quidem & verè purganti medicamento non integra copia deuorato celebratur, indeque peccans cauſa morbifica imminuitur; atque eradicatiuam, qua vniuerſus noxius humor funditus detrahitur: Hanc vna cum Hippocrate Aphoriſmorum primo Aphoriſmo ſecundo negant citra coctionem aut turgentiam, illam vero cum eodem Hippocrate Aphoriſmorum ſecundo Aphoriſmo vigeſimonono citra & coctionem & turgentiam non temere admittunt, quoties coniectura aſſequantur, naturam vberiorem peccantium humorum copiam non poſſe vſque ad morbi vigorem ſuſtinere, quin potius antea oppreſſa nimium & ſopita ſuccumbat; Quare ſumpta à viribus (quæ omnium maximè vrgent) indicatione, vrgentiorique conſulentes, & rectè quidem, vt

mea fert opinio, id peragendum autumant.

Rurſus Medicationem ſiue purgationẽ in legitimam, (regularẽ vocant) & illegitimam (coactam prædicant) diſtinguere ſolent: Hunc deinceps in modum controuerſias Mecõponere contendunt, quippe Regulari & legittima Medicatione nequaquam licere purgans medicamentũ crudum, neque turgentem humorem purgando mouere, irregulari autem, ſiue cura, vt aiunt, coacta id facieudum eſſe ad detrahendam copiam facultatem obruentem, & ad euitandum, vt inquiunt, periculoſius incommodum.

Proculdubio magis res quã nomina diſtinguunt; quandoquidem hoc prætextu in vtraque ſorte præſcripta medicatio, ſiue curatio regularis eſt, & legittima; rationi etenim conſentaneum eſt; vt in antiquiſſimo adagio eſt poſitum, in rebus humanis, in quibus nihil eſt perpetuum, de duobus malis minus eligendum; conſtat enim apud Galenum Hippocratemque, periclitante ægro ſatius eſſe anceps experiri auxilium, quam nullum: Hinc fit, quòd quemadmodum fuit dictum à principio, nullum vniuerſale præceptum inuiolatum recipitur, quod ſuis interdum limitationibus non ſit explicandum. Quid? non ne illa ſententia vniuerſalis eſt ab Hippocrate deſcripta Aphoriſmorum primo Aphoriſmo decimoſeſto? Victus humidus febricitantibus omnibus confert; tamen Galenus ſtatim excipit propter contrarias indicationes Hydropicos febricitantes. Hic ergo totius controuerſiæ ratio conſtituta videtur.

Sed poſtquam in hũc locum deducta eſt propoſita controuerſia, vt huic tandẽ finẽ imponamus, rurſum ad inſtitutũ noſtrũ reuertentes, atq; eorũ, quæ iam antea oſtenſa fuere ſummã in memoriã reuocantes, dicamus. In morbis à materia pendentib. ante coctionẽ, atq; vel etiam nulla obſeruata turgentia, præcautionis gratia, iminentiſque grauioris alicuius periculi ratione, rerum euidentia, gra-

uiſſimorum virorum auctoritatibus, atque rationibus apertiſſimis conſentaneum eſſe purgans præſcribere medicamentum, quod minoratiuum apellant; Quibus hunc in modum conſtitutis illud facilè colligitur, purgantia medicamenta inter morborum initia danda interdum eſſe, nimirum quando vel turget materia, vel in aliquam determinatam partem fertur, aut venenata ſiue peſtilens cenſetur, ſiue quando prænimia copia defecturæ virtutis periculum iminet, quibus etiam accedit & quinta fortuna, cum videlicet materia non eſt eius conditionis, vt con coctionē admittat, qualis eſt & aqua in hydropicis, & bilis tum flaua, tum nigra in vtraque hicteritia. Quòd ſi quis etiam ſextam adderet conditionem à loci præſtantia petendam, vt in Apoplexia à ſcopo, iuxta grauiſſimorum virorum ſententiam, minimè aberrabit. Ac de propoſita controuerſia hactenus; ſophiſtas enim reprehendere nunc inſtitutum non eſt; quoniam ſuperuacuum, & ijs tantum, qui veritatem ſectantur ſpeculationem noſtram impertimus. Reſtat autem, vt quæſitum iam antea propoſitum primo loco explicandum, in cuius gratiam hæc omnia prælibata à nobis fuere, nunc breuiter abſoluamus, erat autem eiuſmodi.

*Nunquid Medici Romani cæterique eiuſdem claſſis incohoantibus morbis purgans medicamentum iure præſcribant.*

SI ex facto (vt Iuriſtæ dicunt) ius oritur, Romani cæterique eiuſdem ſectæ Medici nequaquam iure notandi erunt, quippe qui in morborum principijs purgans non præſcribunt medicamentum, niſi materia vel turgeat, vel venenata ſit, & peſtilens,

ſiue

ſiue mobilis & præceps, aut copioſior, quàm par ſit vt à facultate concoqui poſſit, ſiue coctioni ita contumax, vt nequaquam illam admittere poſſit, de qua paulò ante diximus exemplo ab hydropicis & hictericis accepto. Aut ſi præcipuum viſcus non ſine iminenti vitæ periculi exerceat. In quibus duntaxat fortunis, vt antea dictam eſt, purgare ante coctionem expedit: nam licet primis morborum diebus ventrem mouere ſtudeant, vel clyſtere vel caſſia deuorata, aut manna, melle roſaceo ſoluente, ſyrupo roſ. ſolut. aut violarum infuſo, muccarum violatum appellant, ob id tamen purganti indifferenter medicamento non vtuhtur; hæc enim commemorata aluum deijcientia vel leniendo, vel à primis etiam venis detrahendo, ſuperuacuoſque humores in primis meatibus, ven triculo nempe & inteſtinis accumulatos, ſine labore & violentia, citraque omnem deleteriam ac venenatam qualitatem fęliciter expurgant, ſuccorum enim qui ſunt aut in primis venis, aut in ventriculo, & inteſtinis, ob loci commoditatem, nulla expectata concoctione, expurgationem aggredi licet, quorum quidem ratione forti medicamento cathartico vti non eſt opus, ſed aut lenien te ſolum, aut primi ordinis expurgante: Quorum quidem licet aliqua peculiarem proliciant humorem, nihilo ſecius verè purgantia nequaquam dici poſſunt; quòd nulla violentia, nullaque deleteria facultate opus ſuum præſtent: Neque ob id purgantis medicamenti nomen nimium anguſtè coegimus; quoniam apud Hipocratem & Galenum huius vocis eadem perpetuò eſt ſignificatio. At de primo quæſito ſatis. Reliquum nunc eſt vt ſecundum aggrediamur.

*Nunquid*

### *Nunquid Romani Medici eorumque ſectatores in morborum principio redarguendi ſint quòd pharmaca deiectoria venæ ſectioni anteponant.*

VT nuſquam lubentius verſor quàm in difficilium rerum contemplatione, ita cum magno tædio atque adeò perfunctoriè ea recenſere ſoleo, quæ nihil aut parum difficultatis obtinent, præſertim cum ob externa negotia, & amicorum meorum importunitatem, quibus obſtringor, vix aliquot ſubceſſiuas horas meis negotijs, ac præſertim in Medicina facienda ſuffurari poſſim. Nihilominus præſenti quæſito mihi à perilluſtri & excellentiſſimo viro heſterna die propoſito de re quidem ad artem ſpectante graui, ac multi momenti ſatis tamen perſpicua, paucis reſpondére præſentis eſt inſtituti. Porrò autem non me latet, quòd his ſcriptis plurimos mihi conciam aduerſarios; quòd nihil ad artem faciens diſſimulare poſſim: ſed nihil ad me, dies omnia reuelabit, ac magis mors ipſa; nam pleriquе doctos, ac de propria arte benemeritos magis mortuos, quàm viuos agnoſcunt. At de his ſatis. Rem ipſam agrediamur.

Quoties vtriſque præſidijs, venæ ſcilicet ſectione, & purgatione opus eſt, non tam in ijs, quos à morbis præſeruare, quàm in illis, quos iam laborantes Medici curare ſtudent, venam ante quamcunque purgationem incidendam eſſe quamplurimi hodie medicinam exercentes confidenter conſulunt. Quorum quidem argumenta primum adducam, eaque facilè diſſoluam. Mox auctoritates grauiſſimorum virorum, apertisſimaſque rationes inueteratum hoc dogma euertentes afferam. Dein veram propo-

ſiti

ſiti Queſiti deciſionem afferam ; ſi prius Hippocratis & Galeni locos nonnullos interpretatus fuero , qui ſuperficietenus perſuadere videntur , integram purgationem venæ ſectioni præferendam eſſe , quos quidem locos aduerſus contrariæ alterius ſectæ Medicos minimè adducendos exiſtimamus , quòd probabiles potius , quàm demonſtratiuas rationes contineant . Quæ omnia in hunc ordinem eo conſilio digerenda putaui , vt demonſtrem nec ſemper in quouis morbo ante venæ ſectionem purgandum , nec contra purgationi ſanguinis miſſionem perpetuò præmittendam; ſed modò vnum , modò alterum præſidium prius adminiſtrandum pro diuerſa laborantis hominis fortuna : Quemadmodum & nos vna cum Medicis Romanis fœlici cum ſucceſſu in dies obſeruamus .

### *Hippocratis & Galeni loca explicantur, Quæ integram purgationem venæ ſectioni præmittendam probare videntur.*

HIPPOCRATES ſexto De Morbis Popularibus com.primo tex. ſexto,Iuuenes, inquit; veratro vti , & poplitem incidere : quippe vt verbum ( veratro vti) venæ ſectioni prçponit, ita & huic illud prçſidium ; quandoquidem non ſolum orationis Hippocraticæ dictiones , ſed & earundem ordinem diligenter lectorem ſpectare oportet,quemadmodum & Galenus eius Illuſtris Commentator ſæpe ac ſæpius aſſeruit de Hippocrate loquens ; atque vt ex plurimis aliqua exempli gratia attingamus, reuocanda ſunt in memoriam ea , quæ ab eodem Hippocrate ſcribuntur ſexto De morbis vulgarib.ſect.ſexta tex.quarto,Labores, Cibi,Potus, ſomnus, Res venereæ,omnia mediocria.

Rurſus quarto De ratione victus in acutis vigeſimopri mo cum de ægritudinibus, quæ vtroque auxilio egent diſſerat Hipocrates, in comment. Gal. primis verbis ſic inquit, catalogus hic ab Hippocrate ponitur eorum mor borum, qui primum ſanguinis egent miſſione, deinde ab ea purganti medicamento: Ex quibus Galeni & Hippocratis verbis colligere licet, ſanguinis detractionem non in omnibus morbis purgationi eſſe præmittendam. Ergo purgatio interdum venæ ſectioni præferenda.

At non ita ſubaudiendum puto, quòd venæ ſectio in commemoratis morbis duntaxat præferri debeat, in alijs verò contra; ſed quod illi ferè morbi ſunt, qui vtraque euacuatione ſimul opus habent: ita vt catalogum ibi faciat Hippocrates apud Galenum eorum morborum, in quibus non ſolùm expurgationis, ſed etiam ſectionis venæ neceſsitas ſimul occurrit, quod vt ſignificaret dixit. In quibus ſanguinis miſsio antecedere debet expurgationi: perinde ac compertum ſit, quòd ſi vtroque auxilio vtendum, ſanguinis detractionem vtilius ſit præire quàm ſubſequi.

Quod verò dixerit Hippocrates eodem ſexto De morbis vulg. Veratro vti & poplitem incidere, non conuincit; argumentum enim à dictionum ordine petitum non neceſſario concludit.

## *Venæ ſectionem purgationi perpetuò præmittendam probantium rationes.*

HIPPOCRATES quarto De ratione victus in acutis com. vigeſimoprimo ſic ſcribit, ſolui non poſſunt, ſi quis prius vti purganti medicamento aggreſſus fuerit; nam venæ ſectio in his præferenda venit, deinde ad clyſterem procedendum, ſi magnus

& ve-

& vehemens fuerit morbus: ſi verò non, & poſtea medicamento opus ſit, ſanè id poſt ſanguinis miſſionem ſecurè & mediocriter adhibendum. Mox eodem quarto ſed. com. vigeſimoſecundo rationem ſubiungit dicens. Quicunque ea quæ inflammantur ſtatim inter morborum initia medicamento ſoluere conantur, ij ab diſtenta inflammataque parte nihil auferunt, non enim affectus, vtpotè crudus, remittitur diſſipaturue, ac ea, quæ morbo aduerſa & ſana ſunt, colliqueſcunt, ductoque ad imbecillitatem corpore morbus ſuperior euadit, qui vbi corpus vicerit remedium non habet.

Præterea vbi & venæ ſectione & medicamento opus fuit, venæ ſectionem purganti medicamento Galenus ſemper antepoſuit, id quod luce clarius intelliget, qui eiuſdem Galeni quartum librum De tuenda valetudine diligenter perluſtrabit; hic enim laſſitudinis ſpecies curare docens, non ſemel, ſed iterum atque iterum à ſanguinis detractione auſpicatur. Mox aluum quoque medicamento mouet, quo in loco præ cęteris hęc habet verba. Maximè ergo, vt dictum eſt, detrahere primo de ſanguine oportet, dein ſuccum illum educere, qui ſuperare videtur; non ſuſtinente autem homine ſanguinem ſibi detrahi, augere deiectionem.

Idem quoque faciendum docet com. quinto in ſextum Hippocratis epidem. lib. vbi de venæ ſectione & purgatione loquens ita ſcribit. Si homo vtriſque auxilijs opus habuerit, tum manifeſtum eſt quòd à venæ ſectione auſpicandum ſit.

Auctor etiam eius libri, qui De renum affectione & medicatione inſcribitur: is enim & ſi Galenus non fuerit, apparet tamen fuiſſe virum apprimè doctũ veterumque, Hippocratis præſertim, diligentem imitatorem, hunc in modum ſcribit. Si quatuor humores abundauerint, potius vena incidenda ante purgationem eſt, quàm purgan-

dum ante venæ ſectionem, moxque rationem ſubdens ait. Quandoquidem cum ſanguinis miſſione prius corpus euacuatum eſt, medicamentum purgans exhibitum venas & arterias, inaneſque corporis regiones minimè oppletas inuenit; quo fit vt abſque vllo impedimento in totum corpus dimanet, ſuccoſque attrahat: faciliſſima quoque fit eorundem per vaſorum latitudinem ſeu ſpatia ac fuſione & tenuitate ſuccorum euacuatio; nam ſi vaſa ſanguine repleta, inquit, ſint, & purgatorium dederis medicamentum, non poterit propter plenitudinem in corpus differri, ſed ſubſtat & nihil efficit, aut id quod efficit male efficit.

Huic accedit & Mauritanorum Principis Auicennæ auctoritas libro tertio ſen. prima tract. primo cap. vigeſimoprimo, nec non quarta primi cap. quarto, quibus in locis habet, quòd & ſi alij etiam à ſanguine humores dominentur, tamen à ſanguinis detractione auſpicandum eſt; quòd hæc euacuatio ſit communior & vniuerſalior purgatione.

Sed hæc & conſimilia argumenta nihil habent, quod Romanorum Medicorum medendi Methodum redarguere poſsit; quandoquidem purgantia verè ac propriè dicta medicamenta catartica nempè, de quibus priore libro ſatis copioſè egimus, venæ ſectioni nequaquam præferunt, quando vtroque opus eſt præſidio: Verumenimuerò quoniam, vt ad venæ ſectionem opportuna temporis occaſio, ita corporis idonea præparatio adhibenda, qua neglecta plurimum periculi ægroto impendet; partiumque in prima corporis regione puritas & expurgatio, potiſsima eſt ad venæ ſectionem præparatio, iure quidem, & optimo, vbi ſectione venæ opus ſit, nec adeo neceſsitas vrgeat, quin horis aliquot hoc præſidium differri poſsit; quando aluus ſponte minimè deijcit, clyſtere vel balano, prunis, vel caſsia, vel manna, ſiue melle

roſ. ſolut. aut alio conſimili medicamento tum leniente, tum blande ſubducente aluum emolliendam conſulunt, vt excrementa primæ regionis; ventriculi nempe inteſtinorum ac meſaraicarum venarum ſine labore proliciantur.

Hinc facilè pateſcit, quòd vt Roma omnium in Orbe terrarum Vrbium Regina eſt & caput, ita & bonarum artium omnium profeſſores, ac Medici præſertim, alijs nequaquam inferiores iudicantur. Vt ergo eo redeamus, vnde ſumus digreſſi, quodque præcipuum erat inſtitutum noſtrum, abſoluamus, paucis explicare aggrediamur, ventris expurgationem blandi medicamento, vt iam diximus, ante venæ ſectionem neceſſariò molliendam; Hinc luce clarius eluceſcet, purgationem aliquam ſanguinis miſſioni anteponendam eſſe.

*Rationes Grauiſsimorumque auctorum dogmata, quæ ventrem emolliendum prius, quam vena ſecetur, ex arte ſuadent.*

MAXIMA continentium febrium remedia hæc duo ſunt, Galenus inquit nono Methodi medendi cap. quinto verſus finem, detractio nempe Sanguinis, & potio frigida; verum illa nullo non tempore, modò vires ſuſtineant; hæc, cum & in pulſu & vrinis concoctionis euidentes cernuntur notæ, febris autem eſt maxima. Attendenda verò cum venæ ſecandæ indicationibus ſunt tum quæ eam præcedunt, tum verò quæ omnino excipient; nam ſi præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ ſectionem iubebis, quantum ſatisfacere tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa deſcendant, vi-

debitur: Sin ſequetur neceſſario vacuatio quæpiam, tantum illi de eo, quod ſuperfluum eſt, relinquendum, quantum eſt per eam vacuandum. Ex quo Galeni loco duo apertiſſime colliguntur, alterum non ſtatim à principio mittendum eſſe ſanguinem; nam quod inquit Galenus (tanto tempore venæ ſectionem differendam, quantum ſatisfacere tum ad ciborum concoctionem, tum vt excrementa deſcendant, videbitur, quod præceptum Princeps etiam Mauritanus libro quarto fen. prima tract. ſecundo cap. quadrageſimoquinto litteris conſignauit, tertiam fere diem à primo morbi inſultu comprehendere videtur; legimus enim apud Hippocratem quarto De morbis ſect. octaua, quòd ingeſtum alimentum tertia die vna cum ſtercore & vrina excrementum ſuum deponit: Eodem libro ſect. nona hunc in modum ſcribit Hippocrates. Et cibi quidem ſemper poſtridie per aluum ſecedunt, humor autem ad tertiam diem, & paulò infrà. Neque humor craſſus fieri poſſet, vt poſtridie foras prodiret. Rurſus eodem libro ſect. decima: hæc protulit verba. Atque hæc à me dicta ſunt quomodo & cur fieri non poſſit, vt humor, qui corpori acceſſit, foras egrediatur eadem die, immò neque poſtridie. At vero ſi corpus cibos eadem die egereret, non ſufficienter humore vti poſſet, ſed eſſent homines tenues ac debiles.

Quare haudquaquam dubitandum eſt, venæ ſectionem ob cauſas iam dictas interdum in ſecundam à primo morbi inſultu diem, vel etiam tertiam differendam, ne ante ciborum concoctionem, excrementorumque deſcenſum, ac expurgationem maxima cum ægrotantis offenſione ſanguinem detrahamus. Quòd ſi præſens dogma veritatem habet in crudo alimento, atque in alimenti excrementis detentis, eo maximè ſubaudiendum erit præceptum de humoribus crudis inteſtina, ventriculum, primaſq; venas exercentibus; quòd hi venas maiores ſan-

guine detracto inanitas fuga vacui faciliori adeò negocio ſubingrediantur. Proinde Galenus compluribus in locis tum præſertim De curandi ratione per ſanguinis miſsionem cap. ſexto verſus finem prohibet ſanguinem detrahendum, vbi crudus ſit collectus in corpore ſuccus, cuius hæc ſunt verba. Sin infeſta ſit degrauans plenitudo, non ſemper ſanguinis molienda detractio eſt; fieri enim poteſt, vt crudus per corpus collectus ſit ſuccus, quo in loco licet de ſuccorum crudorum in venis exiſtentium collectione loqui videatur, de ijs etiam crudis ſuccis, qui & in toto corporis ambitu extra venas maiores & in ventriculo ac primis venis continentur, citatus illæ locus eſt intelligendus; quòd vtriuſque fortunæ crudi humores ab inanitis venis prolicitantur: Quod planè Augerius Ferrerius vir alioquin eruditus libro ſecundo Methodi medendi cap. quarto diſſimulaſſe viſus eſt, quippe qui Medicorum noſtrorum conſuetudini reſiſtit, quòd indiſcreta ratione (vt ipſæ autumat) purgationem venæ ſectioni præmittant, cum nequaquam id præſtent, vt ſæpius diximus; longe enim differt purgans vere medicamentum ab eo quod tum leniendo, tum placidè detrahendo aluum mouet, quod quidem & ipſæ vna cum multis alijs recentioribus cum medicamento purganti, quod minoratiuum appellant, confundit; hoc enim vt ſæpè ſæpius diximus catarticum ac vere purgans eſt, minoratiuum tamen dicitur; quoniam minore exhibitum copia vniuerſum noxium humorem non funditus euertit, ac prolicit, ſed multitudini nonnihil detrahit. Iterum igitur ad inſtitutum reuerſi dicamus.

### *Propoſiti Quæſiti ſumma & abſoluta Deciſio.*

VITIA, quæ venæ ſectionem aut impediunt aut ſaltem remorantur, huiuſmodi ſunt. Ventriculi primarumque venarum cruditas. Noxiorum humorum colluuies. Aluus fæcibus adſtricta. Os ventriculi exacto nimium ſenſu præditum, vel imbecillum, quæ venę ſectionem non omnino vetant & excludunt; ſed duntaxat retardant, dum artę ſint ſublata: Quando enim crudiore humore ventriculum exercente vena ſecatur, atque exinanitur in ſanguinis locum ſucci crudi plurimum rapitur: Adſtricta verò aluo, ſi vena pertundatur hæpar exhauſtæque venæ ſordidum quiddam & impurum è fæcibus exſuggentes implentur: Propterea ſcribente Galeno nono Methodi med. cap. quinto tantum moræ in vena elidenda interponi debet, quantum ſatis eſt tum ad crudorum concoctionem, tum vt excrementa deſcendant, quæ quidem ſponte niſi ſuccedant, clyſtere vel alijs paulò ante commemoratis lenientibus aut clementer aluum deijcientibus detrahenda ſunt. Coctus crudus ue cibus ex deuorati eius tum copia, tum qualitate, ex tempore, quo acceptus eſt, ex ructu, atque ex ventriculi pondere apertiſſima coniectura internoſcitur.

Humor præterea in ventriculo, aut in viciniş partibus corruptus exuperanſque, ſiue illic genitus eſt ſiue aliunde, veluti ex capite, ex iecore, aut ex liene procubuit, venæ inciſionem differre ſuadet, dum ſit expurgatus: aliter enim multo maiore detrimento, quam cruditas in venas rapitur, haſque multa impuritate inficit: Hinc vel obſtructiones, vel cachexiæ fiunt, vel morbi ingraueſcunt

ſcunt, aut diuturniores euadunt, ſæuioraque ſymptomata accerſunt. Quinetiam humores impuritate conſpurcati, impetuque concitati excandeſcentes ventriculum præcordiaque vellicant, vnde nauſea, conuulſio, animi deliquium, ſyncope & alia id genus ſymptomata terroris & metus plena, quæ quoties præter vllam ciborum cruditatem in ægris apparebunt, ex inteſtinis è ventriculo atque è primis venis, priuſquam vena ſecetur, humor vitioſus deturbandus eſt, vomitione ſi ſurſum rapiatur, hauſta potione, vel aquæ vel ydrelæi tepeſcentis ſelibræ pondo; Alui autem deiectione, ſi ad partes infernas declinauerit, caſſia cui hyera picra addatur (ſi febris non reclamet) accommodatum huic negocio præſidium cenſetur, vel pro humoris ſpecie aliud quoddam blandum cuius vis vniuerſum corporis molem neutiquam exagitent. De alijs verò vitijs venæ ſectionem, aut retardantibus aut præpedientibus, præſentis inſtituti agere non eſt.

Porrò autem, cùm cauſarum morborum internarum copia aut vitio lædentium geminata ſit indicatio, quippe, vt copia vacuatione, ita & vitium expurgatione tollatur, liquido conſtat, quòd ſi copia & vitium adſint, euacuatione & expurgatione erit opus. Atqui aliquando quidem expurgatio ſola, aut venæ ſectio ſola vitio & abundantiæ ſatisfacit, quòd & expurgatio euacuatio quædam ſit, & ſanguinis detractio quædam expurgatio; ſæpius ſola ſanguinis miſſio ſatis erit, quàm ſola expurgatione vti præcipuè in febribus, quia ſanguinis detractione humor vitioſus vna cum ſanguine extrahitur, expurgatione autem ſanguis vna cum vitioſo humore nequaquam educitur.

Rurſus, cùm ſanguinis miſsio melius corpus ad expurgationem diſponat, quàm expurgatio ad ſanguinis miſſionem, hæc enim laxat vias, quo beneficio maximè corpus

pus expurgandum indiget) illa verò, expurgatio nempe, vires deijciat, quo nihil ad mittendum ſanguinem periculoſius, ſæpiuſque eueniat, vt ſola ſanguinis miſſio curationem perficiat, quàm ſola expurgatio; quia ſcilicet communior & ordine prior euacuatio eſt; à priori autem magis natum eſt ſuccedere, quod poſterius, quam a poſteriori, quod eſt prius; quippe miſſo ſanguine ſæpe ſponte, naturæque lege corpus vel alui profluuio, vel vomitu aut ſudore ſuccedente expurgatur, expurgato autem prius corpore non ſolet ſuccedere fluxus ſanguinis, niſi rarò menſtruus, immò neque probè expurgari poteſt repletis canalibus, cum vtraque euacuatio non eſt opus præcedat, vt antea diximus, oportet venæ ſectio purgans medicamentum.

Verum enimuerò ventris deiectio per medicamenta lenientia aut blandè educentia ſemper venæ ſectioni præponi debet, præſertim hac tempeſtate; quoniam ob hominum luxum, ac præſertim ciborum ingluuiem, prima corporis regio vix vnquam crudis excrementis, humorumque impuritate vacat, quòd ſi forte fortuna, vel ob prægreſſam inediam, aut quampiam aliam euacuationem coniectura aſſequatur Medicus id vitij minimè adeſſe, primo morbi inſultu deprehenſa indicatione ſecandæ venæ ſanguinem citra vllam ventris expurgationem, cæteris conſentientibus, tutò detrahere poterit.

Hæc autem ſæpius iam & antea à nobis dicta fuere, & nunc etiam compendio conſultò repetita, quoniam ad Praxim exercendam atque ad præcipuum Medici inſtitutum ſpectare videntur. Sic ſentiunt, conſulunt, ac præcipiunt non ſolum Romani Medici, ſed alij etiam omnes, qui in medendi exercitio cæteris longè præſtant. Quibus hunc in modum conſtitutis, vnicuique intelligere haud difficile erit, Romanos Medicos nequaquam inchoantibus morbis purgans medicamentum ante venæ ſectionem

nem præſcribere, atque ſumma cum ratione, grauiſſimorum virorum auctoritate, ſimulque comprobatis experimentis correſpondente, aluum prius blandè ſubducendam conſulere, mox venam ſecandam.

Argumentorum autem omnium, quæ hunc vſque adeò celebratum medendi vſum euertere videntur, ſolutio per compendium repetita, ex vna ſola allata Medicamentorum aluum mouentium diſtinctione petenda eſt; nimirum quòd alia propriè, vereque cathartica dicantur, alia verò lenientia, aut blandè noxios humores primæ regioni infeſtos deturbantia; Hæc incipientibus morbis ante venæ ſectionem vtiliter vſurpant, illa verò neutiquam. Hactenus de ſecundo quæſito, quantum ad ſanitatis conſeruationem morborumque medelam ſufficere videtur. Qua de re recte ne, an ſecus opinatus fuerim; aliorum erit iudicium; modò ſophiſtæ non ſint, cum quibus agere mei non eſt inſtituti. Reſtat vt breuitati ſtudentes ad ſequentia deſcendamus, nempe ad tertium propoſitum.

*Nunquid putrida febre correptis purgans medicamentum toto morbi tempore ex interuallis breuibus ſit Repetendum.*

QVI artis operibus, experimentiſque neglectis maiorem in ſophiſtarum cauillis induſtriam poſuerunt, minus ipſis curæ eſt, vt rerum, de quibus diſputatur, naturam accuratè pernoſcant; cum quibus in præſentia contendere mihi non eſt conſilium, ſed cum ijs amicè, modeſtèque agere, qui de communi hominum ſalute magis, magiſque in dies commereri ſtudent. Ergo purgandum non eſſe ex

interuallis q̃buſdã ante materię coctionẽ multis & rõnib. & auctoritatibus apertiſſimè demonſtrari pót. Ac primũ

Hippocrates in libro De Medicamentis purgantibus verſus finem apertiſſimis verbis declarat, quòd his, qui validis ac magnis febribus corripiuntur, medicamenta purgantia perſcribenda non ſunt, quòd inpenſè calida cum ſint, ęſtiuo præſertim tempore, ſub cane & ante canem febrilem augent calorem: tantum abeſt, vt quouis morbi tempore talia pręſcribi debeant indifferenter medicamenta.

Altera Hippocratis auctoritas eſt quarto De ratione victus in morbis acutis tex. quadrageſimo tertio, quæ in hunc modum ſe habet. Quibus principio vrinæ & nebuloſæ & craſſę exiſtunt, hos cęteris permittentibus purgare conuenit, quòd ſi vrinę inter initia tenues fuerint, tales non purgabis; At ſi videatur, clyſterem exhibebis.

Tertia accedit eiuſdem Hippocratis auctoritas quarto De ratione victus in morbis acutis vigeſimo ſecundo, vbi habet. Quicunque autem ea, quæ inflammantur ſtatim morborum inter initia medicamento ſoluere conantur, hi non ſolum ab intenſa, inflammataque parte nihil adimunt, cum non cedat, obſequaturque; quippe quæ adhuc cruda ſit affectio, verum quoque & quæ morbo aduerſa & ſana ſunt, abſumunt, contabefaciuntque, ductoque ad imbecillitatem corpore morbus ſuperior euadit, qui morbus vbi vicerit, remedium non habet. Quam auctoritatem paulò antè ad verbum citauimus ad aliud tamen propoſitum.

His accedit & quarta eiuſdem Hippocratis auctoritas Aphoriſmorum primo Aphoriſmo vigeſimoſecundo. Concocta videlicet medicari, & quæ ſequuntur. Extat & alius inſuper Galeni locus quarto De ſanitate tuenda capite quinto, qui in hunc modum habet. At ſi in eodem homine reliqua eadem ſint, cæterum in lapſo corpore ſanguis

guis bonus exiguus ſit, crudi humores plurimi, huic nec ſanguis mittendus, nec alui deiectio procuranda. Rurſus Galenus lib. cui titulus ineſt (Quos purgare conuenit) non longè à principio, hoc præceptum litteris conſignauit. Qui verò humores aliqua parte corporis conſederunt, neque vllo alio auxilio, neque medicamento vllo mouendi ſunt, prius quàm concocti fuerint.

Sed hiſce auctoritatibus rationes quoq; nō parui faciēdæ adijciuntur, & prima. Si cum crudi adhuc ſunt humores, eos purgatione dimouere tentes, nihil auxilij à natura expectes, cum ipſa poſt concoctionem ſeccernat, ac poſt ſecretionem excernat, quemadmodum apertè aſſerit Galenus in com. Aphoriſmi vigeſimiprimi, primi & quarti libri; cur in principio purgādū cēſes? Altera ratio. Cū iudicationes, concoctioneſq; à purganti medicamento vniuerſū corpus deturbāte præpediātur, cæteraq; naturæ auxilia tollantur: vt magnus Hippocrates De ratione victus in morbis acutis contex. quadrageſimo quarto aſſerit, non ſine maxima noxa & offenſa, inter morborum initia, in augumento & in vigore, ex interuallis quibuſdam febrientibus corporibus purgantia medicamenta concedi poſſunt.

Adhuc, ſi in febrium initijs purgantia exhibeantur medicamenta, cum febres ipſæ aut diuturnæ, aut acutæ fuerint; ſi diuturnæ, per concoctionem, aut per abſceſſum terminantur; medicamentis purgantibus ergo quouis tempore indifferenter vtendum non erit; ſi acutæ, licet excretionibus finiant, illud tamen multifariam obtingere poterit, nempe aut ſanguinis è naribus fluore, aut ſudoribus, vel vomitibus; rarò enim accidit (quod conſideratione dignum eſt) febres per ventris ſolutionem iudicari. Quamobrem cum rarò natura in febribus & alijs acutis morbis ventris deiectionem affectet, procuretque pro eorum curatione, rarò etiam hunc ipſum modum purganti medicamento Medicus procurare debet,

ex quibus liquidò conſtat, quanti ſint roboris & momenti auctoritates rationèſue, quibus noſtram hanc ſententiam tueri conamur, in morborum videlicet initijs, atque ſucceſſiuè ex breuibus interuallis, ante integram ac omnibus numeris abſolutam morbificæ cauſæ concoctionem, purgantia medicamenta non eſſe perſcribenda.

Hæc autem & cõſimilia iam antea commemoraſſe haud immemor ſum; verum eadem in paucas ſummas cogere, ac denuo repetere nunc tertium mihi obiectum dubium inuitabat; cuius quidem ſolutionis momentum omne in eo conſtitutum eſt, vt rationibus, auctoritatibuſque ipſi experientiæ conſentientibus demonſtretur (quod ni fallor euidentiſſimè præſtiti) neutiquam in omni morbi tempore ante concoctionem ex breuibus interuallis purgandum; Niſi vnum vel plura ex ſuperius commemoratis maximè vrgeant. Proinde Galenus primo ad Glauc. cap. nono abſcinthyum, quod purgantis medicamenti loco in tertiana exquiſita vſurpabat, non niſi cauſæ morbificæ præparatione prægreſſa imperabat. Sed iam tempeſtiuum mihi fuerit contrariæ ſectæ rationes paulò diligentius expendere.

*Eorum argumenta examinantur, qui in febribus putridis citra coctionem purgantia propriè dicta medicamenta repetenda ſuſtinere conantur.*

SENTENTIAE diſputantium vel etiam erroneæ ad ſolam rerum contemplationem ſpectantes, interdum diſſimulari poſſunt; at quæ præter ſynceram rerum cognitionẽ opus maximi momenti concernunt, quales ſunt, de quibus nunc diſceptamus, profectò non per io-

cum

cum, ſed ſeriò & accuratè admodum ſunt expendendæ, qnòd ad hominis vitam pertineant. Age ergo, modò tranſeamus ad eos, qui contrariam noſtræ ſententiæ tenent opinionem, ac primum ſic arguunt. Galenus vndecimo Methodi medẽdi cap. octauo, nono, & decimo. Quod corruptum eſt; cùm id alienum à natura ſit, mox auferendum eſſe præcipit, & rurſus libro quarto De ſanitate tuenda cap. tertio aſſeruit. Quod igitur omnino alienum eſt, nulla ratione fieri poteſt vt id naturæ ſuæ gratiam recipiat; ſed educere id quamprimum eſt tentandum.

Adhuc idẽ Galenus apertius eodem nono capite libri vndecimi Methodi medẽdi De curãdis putridis febribus per medicamẽta, balnea, inũctiones, & fotus, hæc protulit verba. Ergo à corporibus, quæ ſic afficiũtur, extrahẽda quæ putruerũt per vrinas, & aluum, & ſudorẽ ſunt; quòd ſi ad os ventriculi ſua ſponte impetũ capiant, etiã per vomitiones, aliter autẽ non eſt quod ea præter naturam irrites.

Quæ quidem Galeni aſſertiones tantum abeſt, quòd hac in re noſtram infirment ſententiam, vt potius eam euidentiſſimè confirment; nam eo loci Galenus medicamentorum purgantium, quòd calfaciendi & exiccandi facultate polleant, vſum apertiſſimè improbat. Auctoris verba hæc ſunt. Ac eorum quidem, quæ iam dictas vacuationes promoueant, non parua materiæ copia eſt, ſed maior eorum portio, cum calida ſiccaque facultate ſit, febrem auget. Itaque deligenda Medico ſunt ea, quæ citra calfactionem, ſiccationemque valentem ſupradictas vacuationes præſtent, cuiuſmodi ſunt cremor ptiſanæ, & aqua mulſa, & oxymeli, & apomeli (Apomeli autem Græcè potus confectus eſt ex maceratis aqua fauis, medium inter mulſam & oxymeli locum obtinens, cuius plurimus eſt vſus circa Pelopponeſum, vt ſcribit Galenus octauo Methodi medendi) Apij radix in aqua, quæ potui datur, incocta. Hæc autem ipſa ventri quoque ſunt

idonea:

idonea; qui ſi nihil reddat, inijcienda per clyſterem aqua mulſa cum oleo eſt, quo in loco, quemadmodum neque alijs in locis, vbi curandarum febriū putridarum Methodum deſcribit, Galenus purgantis medicamenti nunquā meminit, niſi vt excludat, præter quam in febre quartana.

Quapropter ego non poſſum non valde admirari, quo ſpiritu ducti aduerſarij ex hoc Galeni loco, vndecimo nempe Methodi capite nono prææallegato, deducant verè purganti vtendum eſſe medicamento quouis tempore ex interuallis breuibus in febrium putridarum curandarum Methodo. Sed de hac prima obiectione ſatis ſuperque dictum ſit. Nunc ad aliam tranſeamus.

Alteram ex Hippocrate rationem ad ſuam comprobandam opinionem adducunt; nam ab Hippocrate quarto De ratione victus acutorum ſexageſimoquarto ita ſcriptum eſt. Hos ſi ab initio purgare volueris, id ante diem quintum facito, vbi venter murmurauerit; ſi non, à medicamentis abſtineto; verum ſi venter murmurauerit, fuerintq; excrementa bilioſa, ſcamonia mediocriter purgato; quantum verò ad aliam pertinet curationem, quam maximè exhibere tum potus, tum ſorbitiones conuenit, vt melius æger habeat niſi remiſſione facta decimā quartam fuerit egreſſus. Purgat ergo Hippocrates ante diem quintum in morbo, vt notat Galenus, non ante decimum diem coquendo. Quin etiam paulò infrà Galenus com. ſeptuageſimoſexto inquit. Prima interdum die & ſecunda & quarta, & interdum quinta medicamenta dedimus, quid clarius? inquiunt.

At facile vnicuique erit obiectioni huic occurrere, modò intelligat, Hippocratem & Galenum citatis locis loquutos fuiſſe de purgatione in morbis à fluxione pendentibus, reuulſionis ac præcautionis potius gratia celebranda, quam proinde expedit in principio fieri. Ob id Hippocrates loco nuper citato pleuriticum purgandum cen-

ſet

ſet vel ſtatim ab initio prius, quàm in partem aliquam firmati ſint humores, vel poſtea cum concocti fuerint, vt in die quarta; tenues enim humores breui concoquuntur temporis ſpatio: Ita vt quartam diem indiſtinctè pronunciauerit; diximus enim antea, & nunc etiam denuo repetere non grauamur, inter initia morborum non concocta materia, euitandi maioris imminentis periculi gratia, aliquando purgandum, nimirum ſi materia vel turgeat, vel ſit peſtilens, & mali moris, aut in aliquem locum præceps feratur, vel coctionem non admittat, aut ſi præ nimia copia vires immodicè obruat, vel præcipuum aliquod viſcus exerceat, alias autem nequaquam. Proinde & idem Hippocrates in ſuo libro De purganti medicamento ante decimamquartam diem non eſſe purgandum præcipit.

Sed obijcient fortaſſe aduerſarij, ſententias & auctoritates hic adductas conuincere quidem, ſi ſermo ſit de medicamentis purgatorijs, quæ Hippocratis tempore in vſu erant; valde enim calida ſiccaque cum ſint, non tantum in magnis febribus, verum & æſtiuo tempore ſub cane & ante canem ab eodem Hippocrate interdicta erant; nam in febribus, præcipuè magnis, neceſſum erat ab ignea eorum caliditate eas augeri, veluti æſtiuo tempore naturam ab his medicamentis purgantibus adeò lædi, vt non valeret eorum acritudinem ferre, vt dilucidè Galenus declarauit Aphoriſmorum primo com. vigeſimoquarto, & quarta Aphoriſmorum ſectione com. quinto: Verum ea ſoluentia medicamenta, quæ aut remiſſè ſunt calida aut frigida, & ſi calida ſint, adeò à frigidis & cum frigidis ſint quodammodo alterata & permixta, vt nec febrē augere, nec humores deturbare valeant, tutò quouis morbi tempore vſurpari poſſunt: eiuſmodi autem generis ſunt, Manna, Caſſia fiſtula, Tamarindi, Succus roſ. vel violarum, aut Aqua, in qua ea diluta ſeu infuſa fuerint,

Myroba-

Myrobalanorum non nulla genera, Rhabarbarum etiam nonnulli addunt in aqua aliqua refrigerandi facultate predita inſuſum, aut cum prædictorum aliquo permixtum. Nec Hippocrates ipſæ hęc, & ſimilia medicamenta ſi nouiſſet, damnaſſet; ſi enim Hippocrates & Galenus (in quiunt) ſua tempeſtate in quorundam morborum initijs, acutorum nempe, purgantia medicamenta, quæ calida & acria ſunt, propinabant, non verentes quòd febribus caloris incrementum addebatur; ex eo quòd plus cōmodi ægrotantibus comparabatur, humorum videlicet peccantium euacuatione, quàm incommodi caliditatis cauſa; quanto magis (vt etiam Donatus ab Altomari vir in arte eruditiſſimus aſſerit) commemorata medicamenta, cum tali periculo vacent, non prohibuiſſent, imò ſæpius & inter morborum initia, & in alijs temporibus his vti iuſſiſſent?

Cui aſſertioni Reſponſum volo, me quoque libenter hanc diſtinctionem admittere: propterea hàc ratione pariter ductus vna cum medicis recentioribus de arte benemeritis, qui hodie in Vrbe non pauci ſunt, vel quouis etiam morbi tempore, cautius tamē in vigore, morbis inchoantibus huius claſſis medicamentis omnino vtendum conſulo.

Sed quid oro, in propoſita obiectione apertius reperiri poteſt, quod eorum opinionem impugnet magis atque explodat? qui Romanos notant Medicos primis morborum diebus hunc in modum purgandum conſulentes; ita vt apertè pugnantia ſimul dicant; nam primùm negant inchoantibus morbis purgandum, vt primo huius operis libro apparet, mox quaſi dictorum ſuorum immemores quouis morbi tempore ex interuallis quibuſdam febrientibus putrida febre præſcribenda purgantia medicamenta anxiè contendunt, de cathartico propriè dicto intelligentes. Nunc rurſus ad id quod à principio diſtuleramus

ſtuleramus, redeundum eſt, vt huic tertiæ tractationi tandem finem imponamus, videlicet eos à ſcopo prorſus aberrare, qui purganti propriè dicto medicamento non ſemel tantum, ſed iterum atque iterum putrida correptis præſcribendum putarunt, vt probè nouit quiſquis veterum ſcripta paulò diligentius ſcrutatus eſt, Ac præſertim Hippocratis quarto De ratione victus trigeſimooctauo de cauſo loquentis. Si tibi (inquit) purgatio idonea videatur, eam non primis tribus diebus adhibebis, quo tempore, dicēte Galeno in com. cocta non erit materia. Etſi nihil aliud ſuppetat, ſaltem ipſi experientiæ omnibus ferè Medicinam hodie factitantibus comprobatæ credendum. Ac de tertio propoſito & quæſito ſatis dictum ſit. Nunc reſtat, vt ad quartum poſtremumque deſcendamus.

L AN-

# AN VINVM FEBRIENTIBVS INNOXIE CONCEDENDVM.

CVM nihil, non modò in arte Medica, ſed etiam in omni facultate ferè tam clarum ſit, quod nullam obſcuritatem habeat, tam certum, quod non admittat diſputationem; quippe neque generalia ipſa præcepta, licet ab omnibus citrà controuerſiam recepta nodo careant; nam quòd contrariorum contraria ſint præſidia, antiquum eſt & apud omnes in confeſſo; veruntamen, an hoc ſolum, aut perpetuò curet, iam etiam triuiales paſſim de illo quæſtiones ſunt quorundam celebrium Medicorũ iudicio nondũ ſatis exactæ; cum inquam omnia ita obnoxia ſint controuerſijs, vt nihil ferè inuenias, quod nullam litigandi cauſam præbeat, haudquaquam mirandum eſt: ſi Grauiſſimorum virorum medicinam factitantium aliqui, ac præſertim Neapolitani, de vini temperamento, quod calidum eſſe omnibus compertum eſt, diſputent, illudque febrientibus ferè omnibus indiſcriminatim audacter concedant, cum tamen apud omnes ac præſertim Platonem

in Timeo De alimento ſcribentem, &. ex ſecundo De legibus, vinum admodum calidum ſit, proinde, ſcribente etiam Galeno libro cui titulus ineſt, quod animi mores corporis temperaturam ſequatur cap. decimo, lege ſancitum erat antiquitus., vt pueri citra duodeuigeſimum annum à vino prorſus abſtinerent, quòd videlicet ignem ſuper ignem in corpus, animamque, antequam labores capeſcere incipiant, inducere non conueniat; atque ita iuuenilis habitus in furorem propenſi ratio haberetur.

Propterea quarta, poſtremaq; difficultas à Perilluſtri ac admodum Reuerendo Excellentiſſimoq; viro hexterna die in medium adducta diſcutienda hæc fuit. Quamobrem Hic Romæ, multiſque alijs in locis vinum febrientibus denegetur, vel etiam aquoſum, Quòd ex Galeni ſen tentia vndecimo Methodi.cap.nono vacuationes omnes promoueat, in quibus totum curandarum febrium putridarum momentum poſitum eſt. In cuius quidem propoſitæ difficultatis examine, quæ ob temporis anguſtiam paulò præſſius adducebam, nunc illuſtrius ac vberius explicare eſt propoſitum, vt haius rei veritas clarius eluceſcat. Quæ in quinque breues ſummas redigenda duxi.

Primum enim de vini temperamento agam. Mox de vinorum differentijs. Tertio, quæ & quot effecta ſumptum vinum in corpus humanum exerceat, perquiram. Quarto deinceps loco veterum auctoritatibus, rationibuſque experimento etiam conſentientibus euidentiſsimè demonſtrabo, vinum non ſine manifeſto vitæ periculo omnibus febrientibus indifferenter concedi poſſe. Quinto ac poſtremo loco, Alterius ſectæ rationes & argumenta, quæ aſſertionem hanc noſtram infirmare fortaſſe videbuntur, pro viribus refutare conabor.

## *De Vini temperamento.*

VINVM omne calidi eſſe temperamenti Dioſcorides libro quinto cap. ſeptimo apertiſſimè teſtatur, Idem aſſerit & Galenus compluribus in locis, tum præcipuè ſeptimo Methodi cap.ſexto, & lib.octauo De medicamētorũ cōpoſitione ſecundum locos cap. ſeptimo: proinde libro quarto de ſimpl. medicam. facult. cap. nono vina valde vetuſta calida eſſe aſſeruit; inter quæ vinum generoſum magis calfacere ſtatuit idem Galenus tertio De ſimpl. med. facult. cap. vigeſimo. Nec obſtat quòd in libello de cibis boni & mali ſucci ſcriptum reliquerit idem Galenus vinum album auſterum ſenſibiliter refrigerare; etenim de eo intellexiſſe credendum, quod ex immaturis, acerbioribuſq́ue vuis expreſſum eſt, quod omphacium,ſeu acreſta vulgo dicitur; nullum quippe vinum, neque etiam oligophoron pauciferùmue ipſum huiuſce facultatis expers eſſe poteſt,quēadmodum euidentiſſimè monſtrauit Galenus libro De Aliment. facultat. vbi ex profeſſo de vino egit; Non calefacere quidem recentia vina, retulit eodem libro De cibis boni & mali ſucci paulò ſuperius, quemadmodum nimis vetuſta præter modum calefaciunt: nullum autem omnino refrigerare neque ibi, neque alibi ſcriptum ab eodem Galeno reperies, niſi de onphacio, vt dictum eſt, intelligatur: immo & Hippocrates libro ſecundo De diæta, vinum album & auſterum calefacere apertiſſimè aſſeruit. Vel etiam dicere poſſumus Galenum eo loci, vinum non ſolum album & auſterum, ſed etiam craſſum & nouellum intellexiſſe, quod eatenus refrigerare dici poteſt, quatenus nihil vel parum (ſi ad vetuſtum conferatur) calefacit,

quam

quam ſententiam & Aetius habuiſſe viſus eſt ſermone ſecundo cap. ducenteſimo ſexageſimo octauo. Quod itaque ad qualitates, quas actiuas vocant, ſpectat, vinum calidum eſſe, omnibus apertiſſimè conſtat.

De qualitatibus autē ipſius vini, quas paſſiuas vocāt ſic ſentiendū puto. Vinū eatenus humectare dicitur quatenus corpus ipſum nutrit; vinū autem nutrire Galenus ſeptimo Methodi cap. ſexto manifeſtè aſſerit, vbi vino in potu vtendum præcipit omnibus, quibus refici corpus eſt opus, modò non febricitent; proinde quinto De ſanitate tuenda cap. octauo docens quomodo conſeruandi ſint ſenes, ſuæ nempe temperaturæ oppoſitis, calidis ſcilicet ac humidis, balneo videlicet aquæ calidæ ac vini potu vtendum conſulit; Imò, inquit, vinum ſicut pueris eſt aduerſiſſimum, ita ſenibus maximè opportunum: Quocirca vinum modicè hauſtum, vt quod maximè proprium ſit alimentum, natiuum calorem adaugere Galenus libro De cauſis morb. cap. tertio apertiſſimis verbis oſtendit, quod ex eodem & Galeno etiam apertè conſtat octauo libro De ſimpl. med. facult. cap. de vino.

At ſi loco medicamēti vinū vſurpetur ſuæ qualitatis imprimentis ratione exſiccare dicetur: proinde libro primo De diæta ſalubri com. ſecūdo, vbi Hippocrates habet. Hyeme præceteris plurimū comedendū, bibendū quàm parciſſimè, & potus eſſe vinū debet quā meraciſſimū. Galenus in com. inquit Hippocratem vino calefacere corpus, ac exſiccare inſtituiſſe temporis immoderato temperamento adductum; quia calefacit, & ſuperfluitates exſiccat hiberno tempore accumulatas. Quod etiam ex eodem Galeno colligitur libro octauo De compoſitione medicamentorum ſecundum locos. cap. ſeptimo. Quamobrem Galenus libro tertio De Alimentorum facultatibus quadrageſimo Vinum vſque adeò nutrire, vt in genere etiam ciborum ſit ponendum cum demonſtraſſet, mox animad-

uertit

uertit, quas vires Hippocrates in libro De victus ratione in morbis acutis enumerauit, non vt alimenti ſunt, ſed magis vt Medicamenti. Hac itaque ratione humectare atque exſiccare vinum dici poteſt. Hoc vt medicamentum, illud verò vt alimentum. Sic ſenſerunt recentiores Medici de vini temperamento, vt Manardus libro decimoquarto ſuarum epiſtolarum, vinum humidum alimentum eſſe & ſiccum medicamentum. Sed & illud obſcurè dictum eſt; nam ſcribente Galeno tertio De temperamentis, omne alimentum, quatenus alimentum, calidum eſt & humidum, nimirum quòd ſanguinem augeat, ſubſtantiamque calidam & humidam reparare dicatur; quare cum hoc omnibus indifferenter alimentis ſit commune, nulli priuato ac peculiari humectandi & calfaciendi facultas tribuenda eſt: propterea cum alimentum aliquod calidum, aut humidum, frigidùmue, aut ſiccum dicitur, non ex eo, quòd nutriens ſit, tale ſortitur temperamentum; ſed quoniam aliquam ex illis excellentem qualitatem ſortitum fuerit, merito cuius præter nutritionem, quam molitur, calfacere & exſiccare poſſit; quare vinum, & vt alimentum, & vt medicamentum cenſendum eſſe, conſtat; calfacit enim & humectat ſua propria ſubſtantia. Hanc igitur controuerſiam inter grauiſſimos auctores in eiuſdem Galeni verbis ſuſcitatam illuſtrius vberiuſque explicare onus nunc mihi incumbit.

## *Difficultatis de vini temperamento Deciſio.*

VINVM moderatè ſumptum ex accidenti exſiccare, nemo eſt qui neſciat: quod quidem dupliciter præſtare valet. Primum quatenus calorem auget innatum quo quidem aucto calore, corporis humiditates, ac præſertim excrementitiæ

per ha-

per halitum promptius digeruntur: dein quatenus calidum, vt medicamentum immediatius calfaciendo ſiccat, qua ſanè ratione obmuteſcentes ebrios eiuſdem vini modicè ſumpti beneficio, calfactis nempe neruis per ſe & ex nimio calfactu ex accidenti deſiccatis, perſanari Galenus libro quinto Aphoriſmorum quinto aperte docuit: conſtat verò omnia iſthæc opera non per ſe, ſed ex accidenti ſuccedere; atqui effecta, quæ ex accidenti deprehenduntur, nemo eſt, qui dicat denominationem medicamentis tribuere, ſed illa, quæ per ſe ab aliquo pendent: alioquin balneum aquæ calidæ ſiccum eſſe medicamentum dicere cogeris; nam nimia calidæ aquæ infuſio corpora extenuat, humoreſque per halitum diſsipat: & aquam frigidam calidum medicamentum appellabis, quippe quæ conuulſiones ex repletione calorem augendo, ſanare deprehendatur, vt Hippocrati placuit quinto Aphoriſmorum vigeſimoprimo. Eſt igitur vinum & Medicamentum & Alimentum per ſe calidum & humidum: licet ex immoderato eius vſu morbi frequenter frigidi & humidi ſuccedant.

Quod verò de vini calore dictum eſt, intelligi debet de vino confecto, atque vt decet, cocto; nam quod tàm recens extractum ex vuis eſt, vt nondum ſit coctum, vel ex acerbis vuis expreſſum, refrigerandi facultate pollet; ſed illud nec vinum quidem dicendum eſt, ſed muſtum vel omphacium. Quod autem de albo à Galeno dictum eſt duodecimo Methodi. cap. quarto. Neque enim inuenies ex albo vinorum genere calidum vllum, non ſimpliciter, ſed ad rufa & ad flaua collatum ſubaudiendum puto.

Sed hic oritur pulcherrima de vini temperamento difficultas à nemine animaduerſa; ſcribit enim Galenus ſeptimo Methodi. cap. ſexto Vinum mediocriter calidum eſſe; octauo tamen de ſimpl. medic. facult. contex. decimo

quinto

quinto Vinum vetus præcipuè tertio ordine calidum eſſe iudicauit, ſicuti muſtũ quod vocat, ordine primo calidum ſtatuit, caliditatique cuiuſque generis vini ſiccitatem (ex accidenti intelligas) reſpondere ait. Ex dictis contradictionis ſolutio apertè intelligeretur, niſi vinum mediocre, quod ad ætatem & temperamentum ſpectat, ordine ſecundo calidum eodem in loco recenſuiſſet: Propterea dicerẽ ego, calida ordine primo ex eo temperata dici poſſe, quod naturæ noſtræ, quæ in calido & humido moderato conſiſtit, familiaria valde, ac propinqua ſint. At verò, quæ talia ſunt in primo gradu ſecundi ordinis, vt mediocre vinum tum calida mediocriter, tum etiam temperata iure & optimo dici poſſunt; ſecundi enim ordinis principium à primo parum admodum diſtat. & hæc de vini temperamento dicta ſufficiant, quantum ad inſtitutum noſtrum ſpectare videtur. Tempeſtiuum nunc fuerit ad vini differentias deſcendere.

## *De Vinorum differentijs.*

MAGNVS Hippocrates libro tertio De ratione victus in acutis tex. primo Vini differentias explicare aggreditur. Verum id ſuo conſueto breuiloquio vtens diminutè atque inordinatè factum, & ipſæmet Galenus putat; nam non omnes vinorum differentias perſequitur; Sed ſolum præcipuas attingit, vt ex ijs aliæ intelligantur. Galenus autem libro de ſuccorum bonitate & vitio cap. vndecimo illuſtrius ac vberius vini diſcrimina ex calore, ætate, ſapore, eorumque natalibus, & reliquis id genus indagare contendit, tum quæ cuique temperamento conuenient. Quæ omnia clarioris doctrinæ gratia in breues ſummas hac Methodo redigenda putamus.

Vinum

Vinum ergo quinque accipit differentias, colore,ſapore,odore,ſubſtantia,ac facultate. Coloris autem quinque numerantur differentiæ, album, fuluum, ſeu rufum, flauum, rubrum, & nigrum. Ex odore tres; nam aut bene olet, aut malè, aut odoris eſt expers. Saporis in vino deguſtati quinque obſeruantur differentiæ, etenim vel dulce, vel acidum, vel acerbum, Auſterum, aut acre deprehenditur.Ex ſubſtantia tres, nam craſſum, aut tenue,aut mediocre eſt. Ex viribus duas primum ab intenſione & remiſſione petitas differentias intelligimus, quòd aut vehemens ſit, aut aquoſum, hoc quidem oligophorum, illud verò vinoſum appellare conſueuerunt. Deinceps multæ aliæ ex ſecundis vini facultatibus differentiæ deducuntur; nam aliud eſt diureticum, aliud ſputum facilitat, aliud adſtringenti facultate eſt præditum, aut mouens aluum, aut ſomniferum, aut concoctionem inſigniter iuuans, & quæcunque alia vinum præſtare poteſt ſiue commoda iam commemorata, ſiue incommoda; nam & vinorum aliqua caput tentant, grauantque, & neruos malè afficiunt: Quarum quidem differentiarum aliæ mutuò commiſceri poſſunt, vt dulce, & debile, odoris expers, & nigrum, & craſſum, non tamen ęquè omnes commiſcentur; non enim poteſt album eſſe craſſum, neque nigrum tenue; poteſt tamen vtrunque vinoſum & vehemens eſſe, aut aquoſum, & debile, & acre, aut acerbum.

## *Colorum nonnullorum, qui in vinis obſeruantur, Diſtinctio.*

AT verò non inutile me facturum nunc putabo, ſi ad maiorem propoſitæ rei intelligentiam declarauerò, quid per colorem flauum,fuluum,rufum, & rubrum in vinis intelligere oporteat.Flauus ergo color ex viridi & rufo & albo concretus, qualis eſt auri color,

& mellis, & ariſtarum cùm non maturuerunt, fuluo; de quo nunc nũc dicam eſt aliquantulum clarior. Fuluus autẽ color dicitur, qui ex rufo & viridi videtur eſſe mixtus, in alijs plus rufi habens in alijs minus; nã & aquilã fuluã dicunt Poetæ, & fului aurum colore nimirum admodum ſaturatum ad rufum tendente, & arenam fuluam, & Leonem fuluum; quæ tamen res colore nonnihil differunt: quin etiam viridis color minimè ſaturatus ad album quaſi inclinans, vt oliuæ color fuluus etiam appellatur, vt. Fuluaque caput nectentur oliua.

Verum de vino loquentes, fului coloris nomine rufum potius intelligunt, quòd flauo colore magis ſaturatum ſit, ad rubrum quoque magis accedens, hoc eſt rufum ſiue ſubrubeum. Rufus autem color non plenè ruber dicitur, ſed ad flauum nonnihil declinans, qualis eſt capillorum color, quos rubeos appellamus; Quare de vinorum coloribus loquentes, fuluum cum rufo confundunt, hiſque duobus nominibus, vt ſynominis vtuntur. Ruber, idem quod rubeus color, in vino dicitur rufus, ſed intenſior magiſque ſaturatus: & licet vulgares rubrum cum nigro vino confundant, hoc tamen ab illo longè differt. Quid autẽ nigri vini nomine intelligendũ, omnibus conſtat. Sed nonnullas quoque voces varios vini ſapores denotantes nunc explicare opportunum erit.

### *Quid Acidum ab acerbo, & vtrunque ab acri differat.*

ACIDVS ergo ſiue Acetoſus ſapor dicitur, qui aceti ſaporem guſtui repreſentat. Vnde Galenus libro primo de ſimpl. med. facult. acida ſiue acetoſa cum acribus conuenire oſtendit, quòd vtraque linguam mordicant; in hoc tamen

men differre, quòd acria cum valida caliditate, acida verò citra omnem calorem id præſtent: Inde ſubacidum vinum aliquantulum acidum dicitur. Cato de Re ruſtica cap. centeſimooctauo. Vinum ponito ſub dio, poſtridie mane guſtato, ſi id ſapiat, quod in dolio eſt, ſcito id duraturum; ſubacidum non durabit.

Acerbus ſapor propriè dicitur, qui vehementer deguſtantis linguam adſtringit, contrahit, exſiccatque, vt poſt Platoné docuit Galenus primo De ſimpl. med. facult. Differtque ab auſtero, vt maius à minori; nam quæ vehementer deguſtantis linguam contrahũt & adſtringunt, acerba dicuntur, quæ mediocriter, auſtera. Columella, vua primò eſt peracerba guſtatu, deinde maturata dulceſcit, ita vt acerbum vinum ab auſtero non ſolum adſtrictionis maioris, minoriſue ratione differat, ſed planè qualitatibus ipſis; quòd acerbum vinum, quale eſt omphacium, refrigerandi qualitate polleat auſterum autem impenſè calfaciat.

Acer autem ſapor, à quo acrior & accerrimus, propriè ad vinum acetum & huiuſmodi pertinet, ſaporis enim acetoſitatem ſignificat: Medici tamen, quorum eſt ex ſaporibus ſimplicium medicamentorum vires diſcernere, acrem ſaporem ab acido diſtinguunt, acria nimirum appellantes, quæ ori admota, & ab illo calefacta ipſum viciſſim recalfaciunt atque accendunt & mordicant, præque leuitate ad caput ſubleuata obuia quæque incidunt; vt ex Platonis Timeo adnotauit Galenus libro primo De ſimpl. med. facult. Plinius lib. vndecimo cap. decimotertio. Difficulter perficiuntur omnia in cibis acria; Vinum tamen acre illud intelligitur, quod aceti naturam proximè æmulatur. Quippe illud hic non prætereundum duco, difficile eſſe Hippocrati aſſentiri, qui libro De victus ratione in morbis acutis tex. decimonono hæc habet. Quin album vinum & nigrum ſi quis præter conſue-

tudinem permutet, tamen multa in corpore alterarint, vt mirum nil eſſe quis dixerit dulce & vinoſum vinum non idem poſſe, ſi de repente permutata fuerint. Non poſſum inquam vnà cum excellentiſſimo Hieronymo Mercuriali viro apprime docto, atque de arte noſtra optimè merito, Hippocrati ſubſcribere eo in loco aſſeueranti, mutationẽ à vino albo ad nigrum, etiam ſi vtraque ſint vinoſa, magnopere poſſe, niſi præter colorem in vinis aliquam aliam differentiam cognoſcamus; etenim calores per ſe atque ex ſui natura nihil in corpora noſtra agere, & apud Philoſophos, & apud Medicos tam notum eſt, quàm quod notiſſimum. De his hactenus. Nunc ad vini effectus tranſeundum: ſi prius nonnulla veluti dicendorum præludia prælibauero nempe.

### *De primis & ſecundis atque etiam tertijs eorum, quæ corpus noſtrum immutant qualitatibus.*

DE vini effectis tractaturus, hic appoſitè pauca ſubnectere videbor de varijs corpus noſtrum immutantium facultatibus. Vt ergo ex triplici corporis noſtri conſtitutione tria nos afficientium genera obſeruantur, ita & omnes tum vini, tum aliorum ſubſtantiam noſtram immutantium vires atq; facultates in tres ordines aut differentias diſtribuendæ ſunt. Aliæ enim ſunt, quæ primæ qualitates, aut facultates appellantur, aliæ, quæ ſecundæ, aliæ verò, quæ tertiæ. Prima qualitas ſeu facultas ex primorum elementorum permixtione, & qualitatum ſimplicium temperamento proficiſcitur, eiuſque qualitatis vim & naturam imitatur, quæ cæteris in tẽperamento antecellit; ea enim, licet cõtrariarum vi ſit repreſſa, quia tamen ſuperior eſt, vim agendi præcipuam obtinet, & agenti immutanti nomen ſuũ impertit.

Secun-

Secunda in corpus noſtrum agentium vis & natura, ex eorum materia temperamenti, ſiue qualitatis primæ vi perfuſa ſuſcitatur. Eſt autem materia hæc alia tenuis, quæ tum in corpus, tum in humores ſeſe promptè infert & inſinuat: Alia craſſa atque lenta; quæ hæret ac ſubſiſtit, nec altè penetrare poteſt. Alia mediocris, quæ ambarum medias vires ſortitur. Calor verò in quamcunque materiam inciderit, agendi vim atque celeritatem auget, quemadmodum & ſiccitas; At frigus & humiditas reprimunt & cohibent. Ex horum porrò commixtione varia, ſecundæ immutantium vires exurgunt, quarum hæ ſunt præcipuæ: Incidens ſeu attenuans detergens, & incraſſans, & huiuſmodi aliæ.

Tertia verò Alterantium facultas, de qua varij varia dixerunt non à temperamento, non è materia, ſed è tota rei ſubſtantia atque forma primum ac per ſe proficiſcitur; ac proinde occulta totius ſubſtantiæ proprietas appellari ſolet: Hæc autem non ratione probabili; ſed ex crebra euentuum obſeruatione habetur; ideoque propriè experiētia dicitur. Sic ſanè & purgantium medicamentorum, & alexipharmacorum cognita vis eſt; non enim quod ſemel duntaxat, ſed quod identidem, atque ſimiliter, & eadem rerum omnium concurſione, ſæpius euenerit, experientiam gignit. Hac ſanè Methodo nobis in præſentia agendum erit in perquirendis vini effectis & viribus.

## *Quot modis Vinum ſumptum corpus noſtrum afficiat, immutetque.*

VT de vini opere & viribus diſtinctius agamus, altius noſtra repetenda oratio eſt. Quippe vt ſcribit Galenus quarto De ſimpl. medic. facult. cap. tertio, aut impoſſibile eſt, aut perdifficile vllam inuenire ſubſtantiam, quæ adamuſſim ſimilium ſit partium:

Vinum

Vinum nanque vnum habet in ſe recrementum craſſarum partium, vnde dum temporis ſpatio ſecernitur, ferturque deorſum, fæx cōſiſtit. Aliud verò ſecundum, quod florem nuncupant, dum vinum feruet ſupernatat, ſed poſtea ad fęces ſubſidit. Tertium aqueum, quod toti vino permixtum eſt, hoc primario potiſſimumque feruet. Quartum præter hæc, eſt ipſum re vera vinum. Id fortaſſe eſt, de quo excellentiſſimus Hieronymus Mercurialis artis noſtræ nunc ſplendor & decus iure & optimo doctiſſimè interdum diſputare ſolet. Num ſolidiores corporis noſtri partes verè nutriat.

Porrò autem quicquid in corpus noſtrum illabitur, aut temperamento, aut materia, quæ vt iam iam diximus diuerſarum ferè ſemper eſt partium, aut tota ſubſtantia operatur, noſque afficit. Inde tres rerum corpus noſtrum afficientium differentiæ ſiue facultates ſuſcitantur, quarum paulò ante meminimus. Temperamento & qualitate, vel re ipſa, ut aqua frigida corpus refrigerat, vel poteſtate, vt lactuca: ignis atque vinum calfaciunt, hoc quidem poteſtate, ille verò energia. Materia agit, quod ſubſtantiæ tenuitate penetrat, humoreſque incidit. Quod craſſiore materia corpus adſtringit & denſat, & Quod viſcoſum adheret, aut contra detergit. Simplici nudæque materiæ functiones nullas ineſſe non inuitus admitto; Sed ei, quæ ex permixtis elementorum ſubſtantijs eſt, commemoratas, conſimileſue functiones adſcribendas puto. Tota ſubſtantia, quicquid totius ſubſtantiæ ſiue formæ familiaritate nos alit, vel diſſidio & inimicitia naturam noſtram depeculatur atque depaſcit, illud alimentum, hoc venenum appellamus.

Quę igitur nos alunt, non temperamento, vel materia, ſed totius ſubſtantiæ ſimilitudine nobis familiaria euadunt. Idcirco in noſtram ſubſtantiam conuertuntur, eiuſque molem augent. Hæc quidem, quæ nos ſimplici-

ter permutant in duplici ſunt ſorte;alia quidem bifariam, alia trifariam id præſtant. Primi generis ſunt Acetum, Quod temperamento & materia nos afficit, & Lactuca, quæ temperamento & tota ſubſtantia alit, Panis Azymus,qui materia & tota ſubſtantia. Trifariam, vt vinum album, quod calfacit temperamento, ſubſtantia tota alit, materia autem extenuat, atque dum in corpus conuertitur, id ipſum pariter afficit, atque commutat. Proinde ſi quis hac ratione vinum alimentum medicamentoſum appellet à ſcopo non aberrabit.

Vinum igitur prima facultate ex primorum elementorum permixtione, & ſimplicium qualitatum temperamento profecta calfacit & humectat, vt colligitur ex Galeno pluribus in locis,tum præſertim tertio De ſimpl.medic.facult.cap.vigeſimo,quarto De ſimpl.medic.facult.cap.nono,& quinto De ſanitate tuenda cap.octauo, licet ex accidenti, vt ante diximus, calfaciendo exſiccet: vt ex Galeno elicitur libro De compoſitione medicamentorum ſecundum locos cap. ſeptimo. Tertiæ autem facultatis, hoc eſt totius ſubſtantiæ familiaritate alit, alendoque eatenus etiam calfacere & humectare dici poteſt, quatenus vnà cum humido primogenio calorem etiam adauget: Proinde ſpiritus vitales regenerat, vnde facultates earundemque functiones roborat, puriſſimum generat ſanguinem, cor exhilarat, ocyſsimè in alimentum vertitur,concoctionem in quauis corporis parte adiuuat, flatus diſcutit, intellectum excitat, animum addit, cerebrum purgat, conualeſcentes inpinguat, cibi appetentiam inuitat. Vt autem calidum, ac tenuium partium, prima nempe & ſecunda facultate, obſtructiones aperit, vrinam ciet, alimentum in vniuerſum corpus defert.

Eapropter in tuenda ſanitate diligenter procurandum eſt, vt vinum, quod in potu quotidiano alimenti gratia bibitur, ſit ſapore iucundum, gratum odore, purum, cla-

rum, ac mundum ſubſtantia, & colore vel ſubrubrum vel ſubalbum; Corruptum enim, turbidum, inpurum, odore graui, ingratoque guſtu, non modò toti corpori noxam infert ſed etiam ſanguinem corrumpit. Quapropter fæliciſſimè ſuam tuentur ſanitatem, qui regiones incolunt in quibus optima vina proueniunt, vel ad quas, vt Roma, deferuntur: Quemadmodum in Corricienſi comitatu, vbi ſanè generoſiſſima vina naſcuntur, nimirum Pucinum illud Antiquis adeò celebratum, nec non Vipacum illi bonitate proximum; pucinum nanque vinum inter generoſiſsima Italiæ vina, & medicamentis aptiſsima connumeratum eſt. Naſcitur in ſinu adriatici maris ſuper colle non procul à Timauo fonte, teſte Plinio libro decimoquarto cap. ſexto. Hęc quidem parcè modeſtèque pota ad tuendam ſanitatem mirificè conferunt.

Ob id mirandum non eſt, ſi Plinius libro decimoquarto cap. ſexto, Pucinum vinum magnis laudibus prædicauerit. Verum non ob id gaudeant, iubilentque ij, qui vino nimis indulgent, quippè cum omne extremum (vt in comuni adagio eſt poſitum) ſit vitioſum, ſi vinum immoderate, & vberiori, quàm deceat, copia ſummatur morbos pernicioſiſsimos, vt mox dicetur, aggenerat.

## *De vini incommodis.*

VINVM, generoſum præſertim, licet prima ſua facultate, vt ante dictum eſt, primo, ſecundo, vel etiam tertio ordine, vt magis magiſque generoſum & vetuſtum eſt, ita calfaciat, vt ſi quis papaueris ſuccum tantum hauſerit, quantus hominem interficere poteſt, ac etiam num tamen ſuperſit recta ratione, & hoc quoque largè epotum perſanare poſsit, atteſtante Galeno tertio De ſimpl. Medicamentorum facult.

cult. cap. vigeſimo Immodicè tamen ſumptum frigidos quoque morbos procreat, quippe quod prænimia copia tantum abeſt, quod à calore vincatur naturali, vt potius eum obruat, euincatque, innato autem calore ſuffocato, tum frigidi morbi, tum mors etiam repentina ſuccedere poſſunt. Proinde Hippocrates Aphoriſmorum ſeptimo, Aphoriſmo ſeptimo ſcriptum reliquit, ex multo potu vini rigor & deſſipientia malum, deſipientia ſiue ebrietas ex multo vini potu crebro fieri ſolet, vaporibus in cerebrum ſublatis, ſed ſi cum hac rigor quoque accedat, metus eſt, ne non reſipiſcant, ſed conuulſi moriantur; quia vinum iam ingruere in neruos cognoſcitur, vt potè quos mordet, quòd ſi hic rigoris nomine frigus ſolum externorum intelligatur, vt pleriqué intelligunt, tum quoque metus eſt, ne homo moriatur, ſuffocato calido innato; nam quòd extrema refrigerata ſunt oppoſito multo vino innati calidi oppreſſionem indicat, vt doctè Valeſius adnotauit.

Vbi notare oportet, Vinum magnopere ex eo neruos maximè tentare, quòd fumoſi halitus, tenues, ac copioſi ab eo ſublati, atque etiam acres neruos promptiſsimè penetrant, penetrandoque irritant, nonnunquam ſubleuantur quidem ex vino epoto vapores irritantes ſolum, nequaquam autem penetrantes, aut tametſi penetrent, tenues interdum cum ſint, facileque diſcutiantur tremulos duntaxat motus efficiunt, & conuulſiuos; interdum autem multi penetrant, hique craſſi, qui cum minimè diſcuti poſsint, veras pariunt conuulſiones; inter neruos verò, qui noxam, quam à vino liberalius epoto experiuntur, citiſsimè produnt, ij ſunt præcipui, qui linguæ motui inſeruiunt, quòd ex ipſa cerebri ſubſtantia, à ſeptima nanque neruorum coniugatione prodeant; ac proinde inter neruos mouentes, conſpicuumque maxima cum

N molli-

mollitie motum efficientes, linguæ nerui primum obtinent locum.

Hinc fit vt ebrij ſemper quidem balbutiant; nonnunquam verò eouſque procedit balbuties, vt ne loqui quidem iam poſsint, his ſi ebrietatis cauſa vaporibus ſolum, hiſque non craſsiſsimis accepta feratur, indeque obmuteſcentia pendeat, loqui incipient; Qui ſic afficiuntur, qua hora crapula, ſolui ſolent.

Atſi vox non redit, apertè conſtat grauius eſſe malum; atque aut craſſiſſimos vapores, aut ipſum etiam vinum in neruos præcipitare; propterea conuulſione ſuccedente moriuntur; niſi tamen febris ſuboriatur, iuxta Hippocritis ſententiam. A conuulſione aut diſtentione habito, febris ſuccedens ſoluit morbum; hoc eſt, ægrum à morbo vindicare poteſt, quæ omnia Hippocrates Aphoriſmo quinto, quintæ ſectionis breui veluti oraculo hunc in modum complectitur; Si ebrius quiſpiam repẽte fiat mutus, conuulſus moritur, niſi eum febris corripiat, aut ad horam veniens, qua ſolent ſolui crapulæ, loquatur.

Hinc colligere licet, fameſcenti homini ob ſummam inanitionem vinum valde ſuſpectum, ac pernicioſiſsimum eſſe; quoniam vinum attractu valde facile copioſe ſumptum(pauca enim eius quantitas magnam famem ſedare nequit)incoctum ad ſingulas rapitur partes, ſuaque rudi qualitate neruos potius mordet, quàm reliquum corpus impleat; ſolum ergo eam famem, quæ frigiditatem ſequitur, curare poteſt vini potio. Quod ſignificauit Hippocrates ſecũdo Aphoriſmo vigeſimoprimo. Famem (inquit, Thorexis, id eſt vini potio ſoluit. Igitur neque de omni fame canina intelligi poteſt quod dicitur, ſed de ea ſolum, quæ fit à frigidis ſuccis, quæ medicamentis calidis, & vino Mero & antiquo maximoque calfactu indiget; fame ergo frigida laborantes mero vti opportunum

eſt;

eſt; aqua enim hos plurimum lædit propterea quod os ventriculi refrigerando ſitim tollit, & appetitum inuitat. inde Hippocrates ſexto De morbis vulg. aquam voracem appellare conſueuit.

## *Qua ratione vinum oculis tum infeſtiſsimum, tum etiam maximè opportunum ſit.*

VINVM ſanè, quod poteſtate calidum ſit, caputque maximè repleat, atque fluxiones promptè irritare poſsit, oculis ophthalmia laborātibus, aut quouis alio affectu calido, vel etiam ſyncero ſine humoris confluxu, nocentiſſimum eſſe, & ratio, & quotidiana experientia apertiſsimè demonſtrant; neque vllus eſt, qui de hoc dubitet: Hoc tamen ipſum, quatenus propria eius materia, ſiue viribus, quas ſecundas appellabamus extenuat; inciditque. oculorum vitia ab humore craſſo, viſcidoque pendentia, mirificè deturbare ſolet; quando iam humor fluere ceſſauerit, vniuerſumque corpus tum ſanguinis miſsione, tum Pharmaco pro humoris natura egregiè euacuatum fuerit; iuxta Hippocratis & Galeni præceptum Aphoriſmorum ſexto Aphoriſmo trigeſimoprimo, vbi hunc in modum ſcribit Hippocrates Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut venæ ſectio, aut fomentum, aut Pharmacum ſoluit. Singula quippe eorum, quæ Hippocrates commendat, nunc ſcilicet ſunt vtilia, nunc aduerſa; quare non dicit ad omnes dolores hæc omnia eſſe vtilia, ſed ad quoſdam hoc, ad quoſdam illud, ad alios aliud vtile eſſe; aliquando enim, oculorum dolor, ex ſanguinis oritur multitudine, eaque vniuerſi corporis, atque hic ſanguinis miſsionem celebrare expedit.

Aliquando malum humorum vitium vniuerſum cor-

pus, vel ventrem exercentium ſequitur, & tunc purgatione eſt opus, eaque admodum varia, pro redundantis humoris varietate; aliquando vtrunque oportet facere, & primum ſanguinem, deinde humorem vitioſum ducere, interdum autem nullus amplius humor à corpore fertur, duntaxat eſt fumus, ſiue vapor, qui vexat, & hic pulcherrimum remedium eſt ipſum balneum; Quod Brachelius vir doctiſsimus adnotauit, iuuatque etiam tunc balneum. Quòd ſi totum malum oculum iam exercet, ab humoreque craſſo, ac frigido proficiſcatur; extenuatione, inciſioneque indiget, atque tunc vinum, fotus ex fœnugræco vel conſimili ex vſu eſt.

Nonnunquam verò omnia remedia, aliquando plurima, aliquando duo conueniunt, interdum & vnum ſufficit; Quare nullus oculorum dolor erit, qui modo aliquo tali non curetur. Tamen hæc omnia nullus deſiderat. Potu autem vini non niſi doloris cauſa admodum circumſpectè cognita, atque caute admodum vtendum eſſe conſulo.

## *Quibus artuum dolore, ac præſertim Podagra laborantibus Vinum aduerſiſſimum ſit, & quibus moderatè ſumptum conferat.*

PODAGRICI, articulariſque doloris cauſa, quam materialem appellant, licet tum frigida, tum calida eſſe poſſit, nunquam tamen ſine bilis portione aliqua in artus irruit; frigida enim materia vix ſine tenuis, bilioſique humoris vehiculo ſeſe in partes ad artus ſpectantes inſinuare poteſt; ea propter vinum immoderatè ſumptum vtranque huius mali cauſam, ſiue materiam maximè promouet;

uet; nam iecur impenſè calfaciendo ſanguinemque bilio-ſum aggenerando, primæ cauſæ eſt origo.

Rurſus, quatenus præ nimia copia innatum obruit calorem, frigidorum, pituitoſorumque humorum potiſſima eſt occaſio: quibus etiam illud accedit, quod à vino liberalius ſumpto, ſublati in cerebrum halitus & vapores multi, cum præ nimia copia liberum non habeant perſpiratum, cerebri frigiditate denſantur, craſſeſcuntque. Atque frigidis pituitoſisque humoribus gignendis materiam ſuggerunt.

Amplius, vinum ipſum vt calidum, atque tenuium partium, non ſolum quos generat humores tum bilioſos, tum pituitoſos, quemadmodum nunc recenſuimus, ſed etiam quos in viſceribus accumulatos inuenit, ad artus præſertim, vel à natura, vel ex accidenti imbecillos, promptiſſimè præcipitat. Quare podagricis omnibus vinum album præſertim, ac generoſum vtplurimum denegari ſolet; quod (vt noſtra fert opinio) non ſatis rectè: Quapropter hic nonnulla de artuum dolore obiter ſubnectere eſt conſilium.

## *De Arthritide, ac præſertim de Podagra.*

ARTHRITIDIS ac præſertim podagræ, duæ ſunt generales occaſiones, artuum nempe imbecillitas, aut ex vitiato parentum ſemine, aut victu, hoc eſt ex crapula, & vitæ incontinentia; & materiæ importunitas, plurimum articulos infirmant venus & vinum, hoc quidem ab omnibus ſimiliter dictum, ſed diuerſo modo acceptum. Quidam venerem artus frangere ex eo putant, quod impenſè calfaciat. At potius ſentiendum eſſe puto, quia infrigidet & ſiccet, licet nec id ſufficere videatur; nam in mulieri-

bus, Eunuchis, & pueris articuli longè frigidiores creduntur, quàm vel in viris etiam arthriticis; quod ad alteram qualitatem pertinet, in venereis articuli admodum ſicci, in mulieribus, Eunuchis, & pueris egregiè humidi deprehenduntur. Ita neque vinum eo modo omnibus articulos offendit. Quibuſdam ſuſpectum eſt, quòd articulos mordeat, alijs, vt Galeno, quia vinum implet. Ergo per crapulam artus infirmantem, vini copiam præcipuè intelligere oportet; Nam reliqua copia ignauior eſt, quàm quæ neruos & articulos impleat. Cæterum nequeartuum imbecillitas omnino eadem eſt; maior enim apparet, quæ ſequitur vitæ incontinentiam, quàm paternam intemperantiam. His accedit quod neutra cauſa ſola ſufficit, hoc eſt imbecillitas, aut crapula, ſed vtraque eſt neceſſaria; nam neque multitudo citra imbecillitatem, neque inbecillitas citra multitudinem, aut vitium podagram inuehere poteſt. Quibus ſic expenſis, facilè erit ſoluere plurima, quæ hic oriuntur, problemata.

Primum cur Eunuchi rarius, nunquam pueri podagra laborent, ſcribente Hippocrate Aphoriſmorum ſexto Aphoriſmo vigeſimooctauo, ac trigeſimo. Cum tamen & pueri egregiè voraces ſint, & eunuchi ſæpe crapulæ dediti. An quia non ſatis eſt alteram duntaxat cauſam conuenire? debet ferè concurrere vtraque. Hi quia venere non vtuntur, minus tentantur podagra, quàm reliqui omnes; nam creberrimè hoc vitium ex venere proficiſcitur immoderata; quia venus laxat articulos, & innatum calidum frangit; vnde ſucci crudiores congeruntur, congeſtique ad relaxatos artus promptiſſimé dilabuntur. Non diſſimilis huic altera eſt quæſtio, cur ſcribente Hippocrate Aphoriſmorum ſexto Aphoriſmo vigeſimonono. Mulier podagra non laborat (hoc eſt) non adeò frequenter; mulieres enim à pleriſque malis menſtrua purgatione vendicantur, ab ijs maximè, quæ ex redundantia

initium accipiunt, cuiuſmodi podagra, aut chiragra; nomine enim podagræ in his ſententijs omnem articularem morbum intelligi velim.

Proximum huic tertium problema, cur pueri rarius, quàm eunuchi, vniuerſo articulorum genere laborent. Nunquid id ex eo eſt, quia pueri abſtemij, eunuchi verò vinolenti? certum enim eſt, quod ante dicebamus, nõ omnem crapulam; ſed eam maximè quæ a vino eſt, articulos eneruare. Vnde etiam Poete græci Podagram Bacchi, & Veneris filiam eſſe finxerunt. At verò hic tria ex inuentione noſtra longo vſu obſeruata paucis explicare non grauabor, que multum habent momenti in propoſito affectu, quorum primum erit.

*Galeni, omniumque ferè dogma non adeò definitè eſſe accipiendum, nempè, Qui nihil colligunt ſuperuacui, his imbecillæ partes ſemper in tuto maneant.*

OMNIS ferè, qui de artrhitide, ac ſpeciatim de podagra tractarunt, Galeni ſentẽtiam compluribus in locis, tum præſertim aphoriſmorum ſexto, aphoriſmo vigeſimooctauo veluti perpetuò veram inſequentes, affirmauerunt, artus vel à primo ſemine, vel ex accidenti infirmos, nequaquam inflãmationes, ac dolores experiri, modò congrua pertinaciter ſeruata victus ratione, ſuperuacanea in corpore excrementa non congerantur; quod quidem abſolutè dictum nequaquam accipiendum eſſe, & ratione & longa obſeruatione comperi: Quandoquidem pedibus (vt de podagra loquar) natura, vel ex morbo imbecillioribus, ob partium raritatem, aut ũiarum amplitudinem vna cum de-

clíuiore

cliuiore ſitu, vel etiam exacta victus ratione prægreſſa, citra vitioſorum humorū abundantiam, ſtatutis quibuſdam temporibus, vt ineunte vere, vel initiante autumno, ſanguis vna cum ſocijs, humoribus ob temperis conditionem motus, & impulſus citra etiam omne vitium per venas ea in parte iuſto patentiores importunè accedit, Atque circumſitas partes immodicè diſtendendo podagricos dolores excitat. Huic noſtræ opinioni rei ipſius euidentia omnino ſuffragatur; Quandoquidem multos reperies homines in victu admodum temperatos, ac frequenter ieiunātes, proinde nec quicquam ſuperuacui colligentes, qui ſtatis tamen temporibus, ob iam commemoratas cauſas podagra ſollicitantur. Hinc etiam deprehenditur, quod ad ſecundum attinet obſeruandum.

## *Multos turpiter errare aſſerentes podagricorum artus non eſſe roborandos.*

HOC ſanè argumento, ne humores, qui antea in partes laborantes prolabi conſueuerant, nunc adſtrictis & roboratis vaſis, quæ pedibus committuntur, in viſcus aliquod nobile remeent, longeque grauiora mala efficiant. Horum quippe ratio vero eſt conſentanea, quando res agitur cum laborante intemperato, ac cachochymia, vel plenitudine affecto. Atſi vitij huius cauſa in ſolam artuum imbecillitatem, citrà humorum, vitium, reijciatur, non video cur præcautionis gratia artus roborandi non ſint; etenim citra incommodum ſuccos minimè vitioſos roborati artus non excipient. Hoc autem ſecundum erat noſtrum inuentum. Nec obſtat quod dixerit Galenus citato loco, imbecillas partes ſemper in tuto manere in ijs, qui nihil ſuperuacui colligunt; Hæc enim ſententia ita

acci-

accipienda eſt, vt magna ex parte, non autem ſemper vera ſit. Ego quoque non inuitus admitto, præcipuam articulorum doloris cauſam prauorum ſuccorum, ex vitæ intemperantia congeſtorum, multitudini adſcribendam; verum ſine hac, ſola etiam artuum imbecillitas interdum huius mali occaſio eſſe poteſt. Quoties ob nimiam partium raritatem humores, vel etiam probi in artus præcipitentur. Iam verò ad dictum inuentum deſcendamus.

## *Podagricis omnibus vinum indifferenter minimè denegandum.*

QVONIAM promptiſſimum quidem eſt rerum euentũ cognoſcere, ſed difficillimũ eius cauſam conijcere; & niſi quis æquiſsimus iudex fuerit, & ſingulorum diſcriminum bene peritus, ſepe erit, vbi quod profuit obeſſe, quod obfuit prodeſſe putabit. Propterea cum non rarò obſeruatum fuerit, cõplures articulorũ doloribus opportunos, ſola vini abſtinentia, ac aquæ ſyncer æ potu ab eiuſmodi calamitate toto vitæ curriculo liberatos fuiſſe, atq; vt ex pluribus vnum in medium afferam exemplum duo, vel etiam tres occurrunt Romani, & confratres ex Nobiliſsima Lantium familia; qui Abſtemij cum ſint, multis ab hinc annis podagra non amplius cruciantur, cum antea tamen, & ipſi & fratres alij, & parentes iure quodam hæreditario hoc infortunio grauiter detinerentur. Idcirco multi ex antiquioribus, & Neotericis doctiſſimi viri in eam abierunt ſententiam, vt podagra laborantibus omnibus indifferenter, & præcautionis, & curationis gratia vinum prorſus interdicendum, ac eius loco aqua pro potu vtendum, rigoroſè admodum præcipiant. Cæterum qua lege dogma hoc recipiendum ſit, nunc propoſitæ rei oblata occaſione edocere onus mihi incumbit.

Vinum ergo quatenus calfacit, humoreſq; bilioſos pro gignit, fluxionique occaſionem præbet iunioribus calida intemperie præditis, calidaque pariter podagra laborantibus inimiciſſimum eſſe, citra omnem controuerſiã cenſendum; ætate autem declinantibus, frigidiore affectis temperamento, ac podagra laborantibus à frigidiori humore profecta, tantum abeſt, quòd vinum moderatè epotum aduerſum ſit, vt potius calfaciendo, humorem noxium extenuando, eumque per halitum digerendo, atque innatum calidum roborando, prçſtantiſſimum pro hoc debellando hoſte ſit præſidium; ceſſante præſertim fluxione, atque corpore iterum atque iterum, vt decet, repurgato.

Et quoniam Magnus Hippocrates dicere ſolebat eadem conuenire præſidia præſentibus, & imminentibus malis, non ſolum curationis, ſed etiam præcautionis gratia, vt antea recenſuimus, vinum hac lege & cautióne datum podagricis maximè opportunum putamus; quod alij hactenus non animaduerterunt. Quæ & ſi obiter, ac præter penſum à me hoc in loco commemorata fuerunt, non tamen citra maximam vtilitatem, quòd ad Medicinam faciendam non parum conducant. Sed iam ad id quod maximè eſt in hac diſſertatione propoſitum tranſeuntes, oſtendamus.

## *Vinum febrientibus aduerſiſsimum eſſe.*

QVONIAM non pauca ad podagricos dolores ſpectantia attigimus, nunc ea tantum, quæ ad præſens propoſitum faciunt, differenda mihi eſſe cenſeo. Rurſus ergo ad diſputationis initium reuertamur.

Ex pluribus argumentis, quæ apertè ſuadent, vinum febrientibus omnibus, tanquam infeſtiſſimum denegandum

dum eſſe, tria quæ mox adducam efficaciſſima habentur, quorum primum a morbi eſſentia, alterum a cauſa morbifica, tertium poſtremumq́ue a ſymptomate euidenter admodum deducitur. Quandoquidem quod ad morbi eſſentia attinet.

Cum febris ſit natiui caloris conuerſio ad igneam naturam, affectus vtique calidus & ſiccus ab omnibus citra vllam controuerſiam cenſetur, frigida ergo, & humida præſidia requirit. At Vinum calfacit & ſiccat, vt antea ex Galeno demonſtratum eſt, octauo De compoſitione medicamentorum ſecundum locos capite ſeptimo;licet,vt alimentum humectare,ab eodem Galeno ſcriptũ ſit quinto De ſanitate tuenda capite octauo: ergo eatenus reprobari debet, quatenus febrem, & fouere & augere valet.

Neque etiam ratione cauſæ febrienti concedendum. Etenim febris cauſa interior, & continens perſepe bilioſus eſt humor,nempe calidus & ſiccus, ſemper autem calidus, & ſi pituitoſus eſſet, quando putredinis rudimenta inire incipit; hic enim de putridis maximè febribus loquimur. Huic etiam accedit, quòd obſtructionem putridæ febris cauſam potiſſimum ex eo augere poteſt, quòd excrementa, quæ obuia illi occurrunt, in partes penitiores facilè prouehat.

Adhuc, febrium ac præſertim ardentium ſymptomata ſitim nempe, capitis dolorem, ac delirium non ſolum fouere,ſed & augere & ſuſcitare vinum, omnibus eſt in confeſſo. Amplius Vinum maximè nutrit, ergo febrientibus, acutè præſertim,non niſi in morbi declinatione concedendum; antecedens eſt ipſius Galeni, tum pluribus in locis, tum ſeptimo methodi med.cap.ſexto vbi habet,vino vtendum in potu cẽſeo omnibus, quibus refici corpus eſt opus, modò non febricitent. Idem quoque ab eodem Galeno confirmatur libro De cauſis morborum capite tertio, conſequentia apertè deducitur ex his,quæ ſcribantur ab Hip-

pocrate aphoriſmorum primo aphoriſmo ſexto, ſeptimo, octauo, & decimo.

Morbi enim, qui ad præſens propoſitum attinent, in triplici ſunt differentia, acuti, longi, & medij, acuti qui decimoquarto, lōgi, qui ex ſui natura vſq; ad quadraginta proferuntur, medij, qui nunc citius nunc ſerius ſoluuntur, ſed citra periculum, vt tertiana, quotidiana, & alij conſimiles.

Amplius, acutorum alij quarto, alij ſeptimo, alij decimoquarto finiuntur, ſunt & alij acuti quidem dicti; ſed per decidentiam, qui poſt aliquam imperfectam criſim, vltra decimumquartum proferuntur, aliquando vſque ad quadrageſimum protrahuntut. Tenuē victum definire ſolet Galenus, qui vires leuiter quidem reſtituit, ſed debiliores, quàm acceperat, relinquit; qui cum acutis morbis ſit congruus, vinum non includit, quòd plenius nutriat. Modicum verò, qui vires in eodem conſeruat robore. Plenum, qui illas auget. Nunc ergo tot eſſe debent victus tenuis differentiæ, quot ſunt morborum fines.

Proinde victus tenuis abſolutè in morbis longis conuenit, tenuiſsimus extremè ijs, qui terminantur quarto die; tenuiſsimus ſimpliciter, qui ſeptimo, debetur. Satis enim eſt ipſis vtrunque in finem morbi vires ſeruare, & hac de cauſa in genere tenuis dicitur, qui ſimpliciter vires attenuat potius quam conſeruat: Id enim ſolius pleni eſt, neque id mirum videri debet; nam vt alimentum vires, ita morbum quoque auget; Quare neceſſariò ex Hippocratis ſententia rationi conſentiente, & experientiæ concludendum eſt, vinum febrientibus, ac præſertim acutè, tum propter multa alia, tum etiam propterea quòd multum nutriat, prorſus interdicendum.

Rurſus, vinum vacuationes omnes promouet, vt Galenus vndecimo Methodi medendi cap. quarto aſſerit, vrinamque præſertim, vt ab eodem Galeno ſcriptum eſt lib.

ſeptimo Methodi med. cap. ſexto. Ergo febrientibus ante morbi coctionem minimè offerendum; Nam quæ per vrinam excerni debent, extenuatione ægent, quæ tamen longè diſſidet ab alijs præparandi rationibus; humores enim, hac vacuatione educendi duplicem expoſcunt præparationem, primam corpore non ſolum per ſanguinis miſſionem, verum & expurganti medicamento vacuato, quia facilius hac lege, qui ſuperſunt humores huic excretioni paratiores reddũtur, ob id Galenus multis in locis præcipit, ne ante præparationem diureticis vtamur. Alteram verò præparationem ad hanc excretionem humores requirunt, variam quidem, iuxta variam medicamentorum, quæ vrinas mouere nata ſunt, naturam.

*Triplex eorum, quæ vrinam mouent Natura.*

IAM diureticorum triplex reperitur cõditio, Primi generis ſunt, quę vrinam ex eo mouẽt; quia eius copiam vberrimam ſuppeditant. Hæc autem in triplici ſunt differentia. Alia enim ocyſſimè in aqucum commutantur humorem, vt vinum aquoſum, ſemina communia frigida, & præſertim Melonum. Quædam autem idem præſtant, quatenus humores, qui in vaſis, & renibus continentur abſtergendo, ſeroſi humoris copiam promouent, vt Terebinthina, & annonidis radix, quam hoc nomine tanti fecit Galenus. Alia vtraque ratione hoc ipſum efficiunt, abſtergendo nempe, atquę plurimam ſuppeditando aquoſitatem, cuius farinæ ſunt, aquæ ſcaturientes nitroſæ, aut ſalſæ.

Secundi autem generis diuretica ſunt, quæ noxios humores totius ſubſtantiæ familiaritate per vrinarios meatus trahere valent, quale eſt Rhabarbarum, caſſia, & quæ biliosos humores per vrinas pellunt. At Tertia poſtremaque

q̃ e diureticorum conditio omnium præſtãtiſſima, eorum eſt medicamentorum, quæ pituitoſos humores,& quoſuis craſſos in venis contentos extenuare, atque fundere valent; ea autem ſunt, quæ acria vehementerq́ue calida,& ſicca cum ſint, ſanguinem diſcindunt, aqueoſq́ue humores tenues, ac ſeroſos à craſſioribus diſcernunt, qui deinceps à renibus attracti, atque à ſanguine, quo renes nutriuntur,ſeparati, atque excolati, in vrinam cõuertuntur; quemadmodum doctè explicuit Galenus libro De ſimpl. med. facult.cap.vigeſimoprimo,& Ariſtoteles prima ſect. probl. problem. quadrageſimoprimo, & eodem libro probl. quadrageſimonono, vbi habet: Odorata omnia vrinam mouere, qua calida ſunt: quòd refert etiam Paulus, libro primo in epiſtola Dioclis ad Antigonum Regẽ: quod etiam non diſſimili ratione comprobauit Hippocrates libro quarto de Morbis, quippe qui potiones conficiebat refrigerantes, ſitimq́ue ſedantes, & mouentes vrinã, atque alias etiam calidas, ſiccas, & acres.

Cùm itaque nec ſecundi, nec tertij generis diuretica ante humorum, vaſorumq́ue, corporiſq́ue præparationem propinanda ſint; quippe quæ & excrementa inconcocta ad vrinarios meatus præcipitent, & perinde ac purgantia medicamenta,ante præparationem oblata,toti corpori laborem inferant, vinum potens ac vinoſum præſertim febrientibus, tribus morbi temporibus, principio nempe augumento, & vigore, omnino interdicendum erit; quòd quatenus calfacit extenuat, atque etiam humores mouet, maximè diureticum ſit. Hactenus de hoc ſatis ſuperq́ue dictum ſit.

Nunc verò ad diſputationis initium reuertamur,& iuxta promiſſa, Galeni auctoritates adducamus noſtram hãc aſſertionem comprobantes.

*Ex multis Galeni locis Vinum febrientibus non eſſe concedendum comprobatur.*

GALENVS ſeptimo de ſimpl. med. facult. cap. de radice centaurij maioris. Et nono cap. de terra ſamia, ſeptimo de compoſit. medicamentorum ſecundũ locos cap. quarto De Hemoptoicis ex Aſclepiade. Et rurſus octauo lib. eiuſdem operis, cap. ſeptimo, octauo & nono. Octauo Method. med. cap. quarto. Primo ad Galauc. cap. nono. Multiſq; alijs in locis, quos nunc recenſere ſuperuacaneum puto. Opportunum verò deinceps fuerit, eorum rationibus ſatisfacere, qui oppoſitam huic noſtræ aſſertioni ſententiam ſectantur.

*Eorum argumenta ſoluuntur, qui febrientibus omnibus indifferenter Vinum concedendum autumant.*

VINVM apud omnes vrbanas, mitioreſque gentes in ſummo ſemper fuiſſe honore, omnium ferè nationum monumenta teſtantur. Proinde & Plinius, libro quarto, cap. quinto, ſcriptum reliquit. Vinum ſumptum viſcerum calorem egregiè fouere, ſuſtinere atque augere, gratiamque, ac beneficium efficacius præſtare, quàm præſtet quiuis alius liquor; celeri enim motu, à tenui eius ſubſtantia cõparato, alimentum in vniuerſum corpus promptiſſimè defert, concoctionemque perficit in ijs præſertim, in quibus ob aliquod ventriculi vitium ea negligentius peragitur: Quem-

Quemadmodum & in ſacris litteris varia teſtimonia, præſertim apud Magnum Ambroſium extant, quo quidem vtimur tanquam maximo, præſtantiſſimoque vitæ ſubſidio, & pro potu, & pro alimento, & pro medicamento: licet frequentius pro alimento, & commodius maior hominum pars vino vtatur; ita vt curioſa antiquitas præſtantiorem vinorum differentiam ex alendi diuerſitate & modo diligenter obſeruauerit. Neque ob id malè ſentit Excellentiſſimus Mercurialis, quando Vinum vtrū nutriat dubitare ſolet; aliud enim Doctiſſimus vir à communi & vulgari hominum aſſertione intelligit. Sed præſentis non eſt loci hanc difficultatem nunc expendere. Reperitur autem aquoſum vinum, quod exiguum admodum alimentum prẹſtat, craſſum & ſubrubrum multò quidem magis corpus nutrire compertum eſt.

Illud tamen hic vnum notare non prætermittā, quod Antiquioribus non reperio fuiſſe cognitum, nempe noſtra hac ætate, in Italia præſertim, Vinum quoddam reperiri album colore, tenue ſubſtantia, aquæ prorſus ſimile, quod tamen tantum abeſt, vt aquæ naturam proximè æmuletur, quemadmodum antiquiores ſenſere de vino albo loquentes, quòd potius vinoſum ac vehementer calidum ſit; ſed quoniam de his ſatis iam dictum eſt rurſus ad Vini commoda explicanda reuertamur.

Si vinum vires reficit, natiuum auget calorem, præcordia ſi inflata ſint ſubſidere facit, digeſtionis vias aperit, pariterque impellit, ac nutrimentum ſurſum agit, ad celeritatem diductionis in corpus conducit, eſtque præterea boni ſucci, ad miſcenda, concoquendaque ea, quæ in ventriculo & venis ſunt idoneum; iam vires quoque organorum adauget, expellendiſque excrementis valde oportunum, ſcribente Galeno ſeptimo Methodi med. cap. ſexto. Cur febrientibus (inquiunt) denegetur, non conſtat. Præſertim cum eodem Galeno teſte quinto De ſanitate tuenda,

# COMMEMORATORVM IN OPERE, AVCTORVM NOMINA.

| | |
|---|---|
| ACtuarius. | Galenus. |
| Aetius. | Hieremias Triuerius. |
| Diuus Ambroſius. | Hieronymus Mercurialis, |
| Antonius Fumanellus. | Hieronymus montuus. |
| Ariſtoteles. | Hippocrates. |
| Auerroes. | Manardus. |
| Augerius Ferrerius. | Mathiolus. |
| Auicenna. | Meſues. |
| Brachelius. | Oribaſius. |
| Braſaolus. | Paulus.Egineta. |
| Cato de re ruſtica. | Plato. |
| Celſus. | Plinius. |
| Columella. | Serapio. |
| Dioſcorides. | Trincauellius. |
| Donatus ab altomari. | Thuci dides. |
| Exiodus. | Valeſius. |
| Fernelius. | Zoar. |
| Fracaſtorius. | |

*Errata ſic corrigito.*

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| *calores* | 92. | 9 | *colores.* | *præſeriȳm* | 114 | 12 | *præſertim* |
| *currentque* | 117. | 30 | *currentique* | *ſcribentem* | 10 | 16 | *ſcribente* |
| *glaucorem* | 113. | 12 | *glauconem* | *temperis* | 104 | 4 | *temporis* |
| *apporcet* | 114. | 29 | *opportet* | *veneneſa* | 1 | 15 | *venenoſa* |
| *oppoſito* | 97 | 16 | *eppoto* | *vniuerſum* | 71 | 15 | *vniuerſam* |
| *ſericuli* | 61 | 5 | *periculo* | | | | |

2525 552

tionis cupidus, ſed veritatis amicus, & cultor haberi velim; quæ quidem veritas, cum ſæpe lateat, non niſi duorum lapidum conflictu perinde ac ignis, qui ſtatim ſe ſe excuſſus aperit, excutitur. itaque perpetuò latere oporteret, vnde fieret, vt ea non perſpecta maxima inconſtantia cum damno, & dedecore verſarentur omnes. Quare meritò ſibi laudem comparant, quos illius indagandæ inuaſit amor. Vt igitur vtriuſque noſtrum ingenij attritu veritas tandem prodeat, hæc conſcribere volui, vt ſi aliquando contraria aliquibus diſplicere cæperint, noſtram hanc ſententiam amplecti poſſint.

F I N I S.

cet peculiarē quendam humorem, bilioſum nempe, vt iam āntea dictum eſt educant, inter purgantia medicamenta minoratiua appellata, niſi impropriè recenſeri non debent; Quod deleteria non ſint facultate prædita, neque cum labore à longinquis trahant. Proinde in morborum principijs citra vllam corporis, & humorum præparationem ad expurgandos communes, & primos ductus fęliciter vſurpantur.

Quemadmodum ex iam dictis etiam conſtat, eoſdem Medicos intra morborum initia venæ ſectionem iuxta cōgruam indicationem præſcribere, licet ante generoſum hoc præſidium ventris lenitionem, ſiue cliſtere, ſiue commemoratis clementer ſubducentibus medicamentis recta cum ratione procurent.

Neque prima morbi die, aut tertia, aut quarta, aut quouis morbi tempore indifferenter purgandum cenſent rationibus Galeni, & Hippocratis auctoritatibus, rerumque euidentiæ inhærentes, niſi materia, vel facultas turgeat; Hic enim & prima, & ſecunda, & tertia, & etiam quarta die purgandum; vnde inanis eſt religio, & formido eorum, qui id præſtare non audent.

Conſtat etiam ex his, quæ mox adduximus, vinum nō eſſe febrientibus concedendum, niſi vel vt medicamentum, vel virium & conſuetudinis ratione, aut ab euacuatione peracta, vbi febris magnitudo non obſtet. Quod tunc etiam non niſi aquoſum nempe aquæ tum colore, tum ſubſtantia ſimile ſit perſpicuum ſplendidum, atque purum, parcius tamen a principio, vbi verò iam prope eſt, vt morbus ſoluatur, amplius eſt offerendum.

Hæc igitur ſunt, quæ ex tempore, currentique calamo adducere volui in dilucidationem eorum; quæ breuiter, ac compendioſè admodū heſterna die proferebam in propoſita quatuor commemoratorum quæſitorum diſputatione; in qua quidem non is profectò ſum, qui contentionis

nimò Hippocrates apud Galenum, tertio De Alimentorum facultatibus, capit. quadrageſimo, de vino egit ferè ſemper, vt medicamentum, non autem vt alimentum. Quod Galenus etiam ipſe ex Hippocrate eodem librô De victus ratione in morbis acutis com. ſecundo ſuper textum ſecundum, ſignificare voluit his verbis. Verum vt vno abſoluam verbo, Vinum dulce in acutis morbis ad expuitionem, tum propter dictas operationes, tum propter communẽ vinorum omnium rationem, qua vires roborant idoneũ exiſtit, & maximè ijs, qui quæuis humida, quæ tum in thorace, tũ in pulmone continentur, expuunt.

Quantum igitur à ſcopo aberrent, qui febrientibus vinum indifferenter propinandum præcipiunt, ex his, quę antea diximus, quiſquis probè intelligere valet; Modò veterum ſcripta paulò intimius ſcrutatus fuerit, atque vniuerſalia præcepta prompte in operibus ipſis exercuerit. Sed poſtquam in hunc locum deducta eſt oratio, vt tandem huic noſtro ſermoni finem imponamus, opus erit paucis rationum noſtrarum ſummam memoria in hoc modum repetere.

Nimirum Medicos Romanos, quos nullis alijs in Medicina factitanda ſecundos reperio, ægrotantibus purgãs verè Medicamentum, quod catharticum appellamus, inchoantibus morbis minimè indiſtinctè offerre, niſi vel humor noxius morbi cauſa, ſiue natura ipſa turgeat, aut in aliquam determinatam partem præceps delabatur, vel quando peſtilens ac perniciosus admodum deprehenditur, ſiue is ſit, qui coctionem nunquam admittere poſſit, aut quoties vſque adeò copioſus ſit, vt à natura in vigorem vſque ferri nequeat: quo in caſu purgans verè medicamentum catharticum appellatum, minore tamen copia, hoc autem minoratiuum vocant, iure quidem, & optimo concedunt; ſyrupus enim roſaceus, vel violaceus aut Mel. roſaceum, quos liquores ſolutiuos appellant, li-

Quę omnia ſi paulò diligentius Hieronymus Fracaſtorius vir aprimè doctus expendiſſet, Antonium fumanellum huius dubij victorē, contra Bartholomeum Gaionum, non æque facilè declaraſſet; immò vtriuſque aſſertiones prima facie contrarias cōpoſuiſſet, conciliaſſetq́; Iam vero quod tertio obijcitur loco, vinum nempè aquoſum febrientibus à Galeno concedi, tum vndecimo Methodi nono, tum etiam primo ad Glauconem, cap. nono; facilè in hunc modum explicatur; Non enim concedit Galenus vinum locis citatis, niſi ab euacuatione peracta, mitiore exiſtente febre, cum virium imbecillitate, atque coctionis notis apparentibus, qud quidem his etiam diligenter obſeruatis legibus, tenue, aquoſum, & paucum ab initio concedit, vbi verò iam prope eſt, vt morbus ſoluatur, amplius præcipit eſſe offerendum. Ecce quòd non indifferenter febrientibus omnibus vinum concedit Galenus. Nec mirum ſi theorema hoc pugnãtia includere videatur; Qui enim de vini natura ſcripſere, ex antiquis alij fabularum obſcuritate, alij alijs contraria pronunciantes, Alij ſumma dicendi breuitate vtentes, in poſteros, non varias ſolum de vini natura opiniones propagarunt; Sed & altercationes non paucas.

Quæ vero ex Hippocrate adducebantur, nihil prorſus contra noſtrã aſſertionem facere vidẽtur; imò hanc ipſam potius confirmant, quippe quòd comemoratis locis Hippocrates, Vinum febrientibus interdicendũ cenſeat, niſi vel virium reparandarum gratia, aut pertinacis conſuetudinis ratione, ſiue propter vtranque cauſam, aut tanquam medicamentum humectandi facultate præditum, eatenus concedatur, quatenus acuto morbo laboranti eius vſu plus commodi, quàm incommodi comparetur, proinde primo De ratione victus in acutis, com. primo textu vigeſimoſecundo. Vinum dabat Hippocrates ante ptiſanam ad humectandum, vt medicamentum. Qui-

Primæ igitur rationi non aliter reſpondendum cenſeò, quàm Galeni doctà, diligentiq; obſeruatione vndecimo Methodi med. cap. vndecimo poſteritati relicta, vbi habet. Vſque adeò difficile eſſe, vt aliquod auxilium inueniatur, quod citra vllam noxam magnificè proſit; id autem accidit ex complexione ortorum in corpore præter naturam affectuum, vna cum præcedentibus eos cauſis, & ſequentibus ſymptomatis. Propterea licet aqua mulſa (vt ipſe inquit) curandis febribus eatenus oportunum ſit remedium, quatenus craſſos ſuccos extenuare, & glutinoſos detergere, excretionemq́ue promouere valet, in ijs præſeriim febribus, quas habitus coarctatior, & putredo excitarunt: Quatenus tamen calorem febris adauget, eſt noxia; vnde ſi hic in modicus ſit, parcendum aquæ mulſæ eſt, vtendumq́ue ptiſanæ cremore, quòd ſi difficiles, ac contumaces eſſe obſtructiones iudicaueris, etiam oximelite, at hoc ipſum rurſum, ſi immodice vtare, & inteſtina radit, & tuſſim excitat, & neruoſa lædit. Id quoque de vino cenſendum eſt; quippè quod licet multa febrienti homini commoda afferre poſſit, cum tamen eius vſu plus incommodi, caloris febrilis ratione, quem auget, quàm commodi ægrotanti comparetur, febre correptis minimè dandum. Mirabile ergo, quorſum aliquando viros doctos rapit commentatio. Magis mirabile eſt, quòd opinio communi ferè omnium contraria hac in re, ſuos ſequaces inueniat.

Quòd autem ſecundo loco adducebatur ex Galeno. Vinum refrigerare, vel de acerbo vino, quod omphacium appellant, intelligere oporcet, vel de vino, quod aquóſum, & colore, & ſubſtantia aquæ ſimile eſt, quod quidem licet & ipſum non nihil calidum ſit; nam ab eo etiam, per diſtilationem aqua vitæ appellata, quæ calidiſſima eſt extrahitur; Ad vinum tamen vinoſum, & vehemens collatum, frigidum, hoc eſt minus calidum à Galeno cenſetur.

Quæ

da, cap. octauo, vinum maximè humectet, quo præſidio quantopere febrientes egeant, teſtatur Hippocrates, primo Aphoriſmorum decimoſexto.

Rationibus adductis auctoritates addunt, & primo Galenus libro tertio, cap. ſecundo De compoſit. medic. ſecundum locos vinum refrigerare aſſerit, ergo febrientibus non denegandum. Rurſus idem Galenus duodecimo Methodi med. cap. quarto hæc habuit verba. Neque enim inuenias ex albo vinorum genere calidum vllum.

Adhuc vndecimo Methodi med. cap. nono. Vinum aquoſum (quid clarius? inquiunt) febrientibus concedit, quemadmodum & Primo ad Glaucorem. capit. nono De Tertiana agens.

Præterea Hippocrates adduci poteſt, quippè qui tribus præſertim in locis, vinum in acutis febribus manifeſte cõcedit, primo libro, primo De ratione victus in acutis tex. vigeſimòſecundo: cum dixit mulſam aut vinum vtrum magis auxiliaturum putaueris, & quæ ſequuntnr. Vinum humectandi gratia acuto morbo detentis concedit.

Secundo imbecillitatis virtutis cauſa vinum concedit febrienti, cum dixit libro quarto De ratione victus in acutis tex. quadrageſimoprimo. His habentibus ſi venter liquidus fuerit corpus abſumens, & quæ ſequuntur.

Tertio verò Ratione conſuetudinis, Nam ſi vires, aut conſuetudo, inquit Hippocrates, tùm multis in locis, tum etiã De ratione victus in acutis textu vigeſimoprimo plurimum vrgent, etiam ſi morbus ęquè vrgeat, vinum adhuc in acutis febribus non denegandum.

Cæterum horũ plurimi, qui hæc & conſimilia aduerſus noſtrã, imò omniũ ferè communem ſententiam adducere conantur nó ineptè quidé arguunt, verũ eorũ argumenta non conuincere ex his, quę mox dicẽtur apertiſſimè eluceſcet. Neque ob id aduerſarios reprehendo; quoniam vinũ & calfacere, & frigefacere, & ſiccare, & humectare ſolet.